phos longè aliud est quã carnis & spiritus certamen Paulo. 73.&.74
Non Regenerati luctantis & regenerati plenè victoris discrimen. 136 137.
Regeneratio posterior ad sanctificationem necessaria. 69
Damnandi an Christi etiam virtute Resurgent. 34
Christus cur nõ statim Resurrexerit 14
Christi Resurrectionis fructus. 14

S.

Sanctificatio & iustificatio necessario cohærent. 81
Sanctificatio inhærens distinguenda ab ea quæ imputatur. 70
Sanctificatum quid. 69.
Aliquis Sanctus qui nõdum est iustus 68
Quomodo Christus factus sit nobis Sapientia. 62 63
Homo an alia ratione quam per Christum seruari potuerit. 10
Simile & idẽ differunt. 113.
Deus qno iure flagiret a nobis quod soluere non possumus. 79
Spiritus in homine regenerato quid. 73
Spiritus sanctus quomodo excuti dicatur. 136
christus quomodo patri Subijciendus. 32
Homines quomodo in Subsequentibus gratijs σύνεργοι. 49
& primæ gratiæ. 47.4

V.

Verbum dei quõdoam. 3
Verbi dei quę auctoritas 4
Vita æterna & mors æterna quid. 36
Vita æterna nobis nõ debetur ex pacto Legis. 88
Vnio Christi nobiscũ quomodo imputationem fundamentum. 59. 60
Christus quomodo cum ecclesia Vnitus. 56
Vocatio latius patet quam electio. 123
Vocatio & promissio an dici possint vniuersalis 122.
Voluntatis Dei nõmine, non semper idem declaratur. 101.& 109
An dici possunt mali facere Dei voluntatẽ. 101.109.

FINIS.

phos longè aliud est quã carnis & spiritus certamen Paulo. 73.&.74
Non Regenerati luctantis & regenerati plenè victoris discrimen. 136 137.
Regeneratio posterior ad sanctificationem necessaria. 69
Damnandi an Christi etiam virtute Resurgent. 34
Christus cur nõ statim Resurrexerit 14
Christi Resurrectionis fructus. 14

S.

Sanctificatio & iustificatio necessario cohærent. 81
Sanctificatio inhærens distinguenda ab ea quæ imputatur. 70
Sanctificatum quid. 69.
Aliquis Sanctus qui nõdum est iustus 68
Quomodo Christus factus sit nobis Sapientia. 62 63
Homo an alia ratione quam per Christum seruari potuerit. 10
Simile & idẽ differunt. 113.
Deus qno iure flagiret a nobis quod soluere non possumus. 79
Spiritus in homine regenerato quid. 73
Spiritus sanctus quomodo excuti dicatur. 136
christus quomodo patri Subijciendus. 32
Homines quomodo in Subsequentibus gratijs σύνεργοι. 49
& primæ gratiæ. 47.4

V.

Verbum dei quõdoam. 3
Verbi dei quę auctoritas 4
Vita æterna & mors æterna quid. 36
Vita æterna nobis nõ debetur ex pacto Legis. 88
Vnio Christi nobiscũ quomodo imputationem fundamentum. 59. 60
Christus quomodo cum ecclesia Vnitus. 56
Vocatio latius patet quam electio. 123
Vocatio & promissio an dici possint vniuersalis 122.
Voluntatis Dei nõmine, non semper idem declaratur. 101.& 109
An dici possunt mali facere Dei voluntatẽ. 101.109.

FINIS.

4

¶DE FIDE,
Ejusque Ortu, & Natura, plana ac dilucida Explicatio.

(ceú)

P. BARONIS *Stempani sacræ Theologiæ in Academia Cantab. Doctoris ac Professoris, Prælectio, in Cap, 3 ad Rom. vers, 28.*

Sign. 8. 68

Ad ecta sunt alia quędam ejusdem *Authoris, de eodem Argumento, quæ sequens Pagina indicabit.*

LONDINI.
Apud Richardum Dayum, in *Occident. Cœmeterio D. Pauli* sub Arbore. 1580.

Quæ porro accesserunt hæc sunt.

Quæstionis, De FIDE, Legenè comprehendatur, uberior ex aliorum scriptis, Confirmatio. pag. 47.

Dicti illius, Nimivitarum FIDEM, fuisse implicitã, Explicatio. Pag. 91.

De FIDE, Scripta duo in Amicorum gratiam exarata, Pag. 103.

Causarum, Effectorúmque in nostra Iustificatione series. Pag. 115.

De Charitatis varia significatione, Ejúsque cum Fide nexu, Tractatus. Pag. 131.

Ejusdem Concio ad Clerum habita, in Psalmum integrum. Pag. 181.

Typographus Lectori.

ERe fore putavi, Lector, ut initiô moneã, me nudas tantúm Chartas ab Authore accepisse, eásque non sua, sed aliena manu descriptas. Si ergó exterior libri frons nimis arrogãs videatur, singulorúmque Tractatuum Capita nimium quiddam polliceri, id mihi vitio verti debet, qui hisce titulis libellum ornandum censui. Neque ultra crepidã Typographus, qui ex Scholari factus est Typographus. Quod ad impressionem attinet, fefellit me sapiús festinata Libelli descriptio, præcipué verò peccarunt infœlices Opificum manus. Quæ aberrãt igitur vocabula hac notâ insignivimus: tu pro tuo candore, cũ legẽti tibi occurrerint, Errata, quæ in calce libri numerantur, consule. Vale Lector, Primámque manum, primúmque Typographi fœtum benignus excipe. Vale

1595

ILLUSTRISSIMO, AC *Honoratissimo viro D. Francisco* Walsingamo, Equiti, *Regiæ Majestati à Secretis, atque* Ordinis Cancellario, Gratiam optat ac Pacem à Domino sempiternam.

CUMNUPER accepissem hunc P. Baronis, ab eodē ad me missū, meoq; per Epistolam arbitrio permissum Libellum, (Honoratissime Walsingame) duplicē certé voluptatem cepi, tūm quód indé mihi occasio, sepé jam anteá expetita, tuo Honori gratificādi, oblata videbatur: tū quód pioruni quorundam votis hinc posse sperabā satisfi-

tisfieri. Quo enim tu Authorem hunc animo cõplexus ſis, juſto Religionis, cujus cauſa hîc exulat apud nos, & communis Pitatis amore incitatus, nõ obſcuré, ut ſæpé aliâs, itá nuperrimé declaraſti. Hujus rei cauſa, non ullo meo erga tuam dignitatem merito, ſed tua ſola nixus Bonitate, haſce illius De vera Fidei, Charitatíſq; natura, Lucubratiunculas, tuo Honori dicandas cenſui. Deínde, ſi tibi munuſculum hoc non fuerit ingratum, illi, cujus animũ erga te novi, gratiſsimum fore confido. Et quam vis nihil hîc ſit, quod ad tám eximium Dignitatis, in quo ſedes, locum, grãviſsimis hujus Regni negotiis implicatus, magnoperé videatur pertinere: quoniam tamen

mẽ Pietas, quam in te ſummam omnes admirantur & prędicant, relictis rebus hujus Mundi gravioribus, ſuos interdum filios inviſit, ac Pietatis incrementa proferentes probat & auſcultat: non indignum tuis virtutibus hinc aliquid pius ille erga veritatẽ ardor, poterit fortaſſe depromere. Quem.n. & foris in Gallia quondam illuſtriſſimorum doctiſſimorúmque virorum, qui te propter admirabilem probitatem amârunt, communi tecum & cũ hoc Authore, Pietatis ac Religionis vinculo conjunctorum, conſuetudo delectavit: & nunc Domi Optimarum Artium Theologiæq; imprimis amplificandę, & eorum, qui illam profitentur, ornandorum ſtudium eo-uſq; pro-

vexit, ut nũquam niſi honorificé ſanctéq; de illis ſentiat ac loquatur: qui unquam ei aliqua virtutis Religioniſque exercendæ occaſio deeſſe poterit? Veruntamen, ut nihil hîc tua dignum Sapientia conſpiciatur: equidẽ me ſatis habiturum fatebor, ſi hinc ſaltem qualecunq; meæ erga T. H. Obſervantiæ pignus extare poſſit: illud inſuper cupiens, ut in me omnium minimo, atq; ob id etiam qui tuæ D. quicquã offerrẽ, indigniſsimo, quid alii tibi, propter Chriſtianę Pietatis, quã ſemper unicé colis, curam, debeant, intelligant.

Quod verò ad Fideles & chariſsimos in Chriſto Fratres attinet, quin hîc iis, in eo quod cupiunt, ſatisfieri poſſit non dubito:

quum

quúm hîc, ſiquid ex illis in Jonã, ſuperiori anno editis, Prælectionibus, vel ipſi obſervârũt ac notârunt, vel ab aliis obſervatum ac notatum, proprio nondũ adhibito judicio, creduli hauſerũt, quod obſcurius, de Fidei Natura, uſuq; ac partibus dictum videatur, habeant, in quo, ſi æqui ac veritatis, quod non dubito, amãtes eſſe velint, certó ac tutó conquieſcant. Sic n. mihi videtur in hoc ſcripto Author ſuam mentem aperuiſſe, ſententiámq; cõfirmâſſe, ut nullus dubitandi locus relictus eſſe videatur. Cui ſi vulgó recepta opinio primo aſpectu viſa ſit reclamare: re tamẽ propius animadverſa, nihil hîc (ut nec alibi etiam, ſi dextré omnia explicentur) proponi intelli-

gent omnes, quod vel á recepta ſententia diſsideat, vel Chriſtianam pietatẽ non maximé promoveat. E⁹ us rei argumenta hîc nulla producam: libelli ipſi⁹ brevitas ac perſpicuitas Fidem legenti atque intelligenti, quamprimúm faciet. Neque.n. ullis utitur verborum fucis, aut longé petitis rationum umbris, ſed nuda ac prẹſſa contentus veritate, domeſticas, & ex genuino Sacrarum literarum ſenſu Subſtantiáque deductas rationes, ad ſolidam ac nativam argumenti, quod tractat, cõfirmationẽ, docté non minús, quám ad ſedandas erudiendáſque Fratrum conſcientias, pié ſobriéque contexit urgétque. Reliqua non dico, né Fratrum judiciis videar præjudi

judicio aliquo antevertisse. Tantúm, si veram explorandi spiritū, qui túm in aliorum scriptis, túm in hoc libello spirat, Libertatem, non jam alieno judicio præoccupatam, sed propria institutam ac firmatam diligentia, legentiū Charitas benigné afferre velit, si Christum ipsum (quem hîc puré prędicatum (utî spero) inveniēt) ac veram Pietatem capiant pro viribus, ac retineant, si tuam denique (illustrissime vir) authoritatem ac Naturę Bonitatem sequuti, quod bonum est, ament, Deóque, hominum Mentes ad Cœlestis doctrinæ intelligentiam per suum spiritum, in Ecclesiæ suæ commodum illustranti, gloriam concedant: satis jam habemus, id unum cupimus, nec

ul

ultra quicquam requirimus. Is est enim propositi nostri Scop⁹, & quidém unicus, ut in illustratę atque agnitæ veritatis acceptatione, Deo laudes, uno omnes mortales consensu, vocéque cōcipiant. Id veró de meipso, quā ex animo cupiam ut fiat, Deum habens cum mea conscientia testem, ultra non dicam. De Authoris Voto, vel hinc constare ex istimo posse, quód ne ulli errandi Occasionem præberet, non satis forsitan explicata initiô mente, omnem semper industriā adhibuit, ut omnibus satisfaceret, cúm privatim, túm publicé: sed præcipué habita nuper in Scholis Cantabrigiæ, & nunc omnium qui legere volunt, oculis exposita, hac Prælectione, aliísque de co-

de eodem argumẽto tractatiunculis. Det Deꝰ Pater Domini nostri Jesu Christi, ut non frustra id faciat, ut benigné omnia & æquis animis expẽdant pii, &, quæ Petri Baronis ex intimo affectu precatio est, ut quicquid in hac suæ de Fidei vivæ ac justificantis Natura, Mentis explicatione, cũ sana doctrina & Christiana Pietate conjunctum viderint, in eo tantisper boni acquiescant, dum tanti illos et tam insignis per Dei Spiritum oblati, ac gratis animis accepti beneficii non pœniteat.

Quod superest igitur, rogandꝰ est Deus, ut veritatis palmã, quocunque velit modo, ac per quoscunque, in Cœlum usque ab omnibus conspiciendam fruendãq; attollat: te verò etiam, ad Reipublicæ, Ecclesiæque Anglica

næ Clavum, ſub Illuſtriſsima ac propter Evangelium, tam diú, tã fœliciter ejuſdem auſpiciis propagatum, beatiſsima Principe *Elizabetha*, cum aliis Nobilibus viris ac Dominis, ſedentem, æternæ Sapientiæ Spiritu ſic imbuat, ut, quod veré fuerit ſanctéque é Scripturis delibatũ, intelligas, rémq; ita divinitús intellectam, aliis, pro tua authoritate, ut amplectantur, commendes: ut hínc ſua, utî par eſt, Deo gloria, tibíq;, in tã præclaro negotio verſanti, ac reliquo Fideliũ Cœtui, credi ti atque admiſsi per Fidẽ Chriſti prẽmiũ expectãti, cõſtet immortalitas. Amen. Ringuodę *14. Cal. Maias*: An. *Incarnatæ ſalutis*, 1580.

Tuo Honori,

Deditiſsimus,

Oſmundus Lakus.

* ORNATISSIMO VIRO AC vigilanti & sedulo Ecclesiæ Ringuodensis Pastori, Osmundo Lake, sacræ Theologiæ Baccalaureo, PETRVS BARO. S.P.D.

CUM VIDEREM EX NOSTRIS IN Jonam Prælectionib⁹, in aliquā nos, etiam apud amicos, venisse suspicionem, charissime atque obseruande Frater, id non mea tantum, sed tua etiam causâ, qui eas in lucem emisisti, agre-tuli. Itaque huic malo mederi cupiens, omnẽ dedi operam, primúm ut, quid subesset, intelligerem (in quo quantum laboraverim, ipse, qui meorum semper laborum & ærumnarum particeps esse voluisti, non ignoras) deinde, ut meam plenius mentem aperiendo, omnibus satisfacerem, (quod mihi etiam difficilius fuit) illis præsertim in eo, quod in nobis requirunt, non ita cõsentientibus: his nimirum, non modo hoc, illis vero illud, sed quibusdam etiam, quod ab aliis laudatur, nominatim reprehendentibus. Unde tamẽ in quo plures, licet diversé, consenserunt, circa FIDEM versatur: in quo me á recepta sententia non-nihil discedere putant, ex eo, scilicet, natum, quód illud

Pauli dictũ, Homo Fide justificatur absque Operibus Legis, *fuerit pauló aliter, a nobis, quam vulgó forté soleat, citatum. Hinc enim conquesti sunt nõnulli, quód quúm Paulus nihil excipiat, fuerim tamẽ aliquid excipere ausus: alii, quod FIDEM (quã unam excipio) LEGE præcipi dixerim, veriti, ne si ita sit, quoddam Legis opus sit excipiendũ. Alii denique (qui & Fidei Actionem fuisse excipiendam, & eam Lege præcipi, uti spero, concedent) quód internas quasdam alias, præter Fidem, Actiones excipere me voluisse falso existimárint, quæ fuerunt postremæ amicorum ad me Literæ. Hæc ego cum nossem, & ad amicos quid sentirẽ, scribere, & publicé, cum sese offerret locus, magis explicare nõ destiti: ut Occasionem, quam ipse, nõ satis initió forsan explicata Mente, præburam penitus, si possem, opprimerẽ: tum vero imprimis, totum quod in suspicionẽ venerat, exactius ac pro viribus enucleare sũ conatus, cum in enarrada Pauli ad Rom. Epist. ad ver. Cap. 3. 28.* Colligim⁹ igitur Hominem Fide Justificari absq; Operibus Legis, *pervenissẽ, sese tum etiam offerente nova celebrioris cœtus Occasione: ut videl. audi-*

entibus multis, iisque doctissimis viris, meæ sententiæ (quæ a nonnullis etiam adulteratur) non modo testes, sed etiam judices haberem. Neque enim mihi male conscius, latebras quæro: sed quæ vera, pia, cognitúque utilia esse judico, in tantam Lucem libentér profero: ut, si quid errem (quod humanum est) admoneri possim.

Eam autem Prælectionem, ut literis mandarem, me non-nulli vehementer rogárunt: ac post etiam alii ut in lucem ederem, eam rati, cum meæ sententiæ genuinam & apertam explicationē contineat, huic malo medicinam aliquam allaturam. Ego verò, quū ab amicis etiam per literas rogatus sim, ut hæc & quædam alia magis explicarem, quib⁹ morem gerere velim, quin ita sit non recuso: ut, si a pluribus quid sentiam intelligatur, min⁹, qui me moneant, desint. Hoc tamen nolui, (propter eam, quam nulla neque fraus, neque improbitas, sed vera erga Deum Pietas, syncerúsque veritatis Amor, iampridē inter nos conciliarit amicitiam) te, qui tum aberas, inconsultò aggredi: imò id totum tuo ipsius iudicio, arbitrióque permittere volui: hoc unū, non te, sed eos, qui hæc (si forté prodeant) le-

gent, orans atque obsecrans, ut vacuo & benevolo erga me animo, singula expendant ac dijudicent. Hoc enim nisi adsit, iam satis intelligo, me ne hilum quidem apud illos profecturum, quúm nihil tam sanctum, nihil rationibus adeó munitũ sit, quod (si absit ἐπιεικεία) aut detorqueri, aut ex eo absurdi quidpiã elici nõ possit. Attamẽ pios omnes, amicos, fratrésq; nostros omnia benigné interpretaturos confidimus: quod ut ita sit, Deũ Opt. Max. obnixé ac vehementer etiam precamur.

Hic veró nõ miraberis, si Calvinũ, Martyrẽ, & alios ita frequẽter, præter morem, appellárim. Sunt n. adhûc nonnulli, qui nõ minus á quo, quã quid dicatur attẽdere solẽt, quibus tũ, veritatis ergô, inserviendũ existimavi, quũ quædá essent, quæ a me uno dicta, quibusdã persuaderi vix potuissent, qui tamẽ audita Calvini aliorũq; authoritate, lubẽtiꝰ (uti spero) acquiescent. Vale amantissime Frater, Deum rogo atque obsecro, ut in te cœlitus infundat scientiam, prudentiam, cæterásq; ad tuum munus fungendũ necessarias dotes quó illius gloriam, hominibus, ad syncerum illius cultũ adducendis, magis ac magis amplificare possis. Cantab. prid. Id. Martii. 1580.

P. BARONIS STEMpani ſacrę Theologię in Academia *Cantabrigienſi Doctoris ac* Profeſſoris Prælectio, habita *8. Idus Febr.* 1580.

Rom. Cap. 3. verſ. 28.

* Colligimus ígitur Hominem FIDE *Juſtificari abſque O*peribus Legis.

HOC DIVIna providentiâ cótingere exiſtimo (viri Ornatiſſimi) ut hic graviſſimorum Doctorum, aliorúmq; illuſtriũ virorum cætus hodié quadam étiã alia, q̃ ordinariæ Prælectionis de cauſa, convenerit: nempé cúm mihi inſignis hic Pauli locus

esset explicãdus: in quo eorum summam, quæ de hoc argumento anté á nobis, & in Jonam, & tota hac De FIDEI Justificatione disputatione dicta essent, repetere constituentes, quædam étiam quæ & difficilia, & controversa sunt, néc satís aut á nobis explicata, aut á nonnullis intellecta, magís enucleare conaremur. Itáque hanc nobis divinitús oblatã occasionem arripiẽtes, mentem sententiámq; de hac re nostram, quám aperté poterimus, nunc étiam magís proponere enitemur, ut vos omnes nostræ hujus sententiæ habeamus (si itá opus sit) non modó testes, sed étiam judices. Quapropter vos vehemẽtér rogo, ut me hodié, pro vestris in me meritis, & benevolentia, attenti, ut soletis, benigné étiam audiatis.

Vide Prælect. in jonã. pag. 242. & 315.

PAULUS, ut demandatum sibi á Deo Mun° exequeretur, Evangeliũ omnibus annũciabat, unicam

hanc viam esse affirmans, qua homines ad æternam, beatámq; vitam pervenirent. In quo illi pleríque feré omnes resistebant, absurdum & incredibile dictu existimantes, Omnium mortalium salutem in uno homine Judęo, á suis ignominiosa morte affecto, esse repositam. Ad hoc igitur evincendum, & hominibus persuadendū, Paulus in hac ad Rom. Epistola hac via & ratione utitur totius disputationis initiō; vers. nempé Cap. 1. 16. rei summam proponens ait, Evangelium *esse Dei Potentiam ad salutem cuivis Credenti, Judæo primùm, deinde etiam Græco*. Et quia hoc ipsum erat quod contradicebatur, rationē hanc subjungit, Quód in EVANGELIO Divina Justitia retegatur, FIDE percipienda. Intelligunt. n. omnes ad divinam beatissimámq; vitam, non per scelus aut flagitium, sed per Justitiam, perveniendum esse. Parit. n. Justitia vitam,

divina divinam. JUSTUS, inquit, FIDE *vivit*,

Rom. 1. 17. *Quicquid igitur illud sit in quo divina, i. perfecta Justitia Hominibus exhibetur, illud ipsum Hominibus, si eam Justitiam* FIDE *exceperint, erit salutare:*

At in Evangelio Dei JUSTITIA *retegitur ex* FIDE *in Fidem.*

Ergó *Evangelium est exerta Dei Manus & potentia Omnibus qui credere voluerint in perpetuum conservandis, & beandis.*

Sed quoniam hanc étiã Pauli sententiam, In Evangelio nempé divinam Justitiam exhiberi, negabant vulgó omnes Judæi simúl ac gentes, in suarum potiús quíque Legum ac Rituum observatione Justitiã quærentes, illam Paulus nova hac ratione confirmat:

Aut ex Lege, aut ex FIDE *est Justitia ac Salus,*

At non ex Lege (qua Assumptio habetur

habetur vers.20.Cap.3.

Ergó FIDE *(hoc versu.*

Hanc autém Assumptionem, Neminem Lege Justificari, quia in ea vertebatur tótius rei cardo, longa oratione demonstrare voluit, né quis de conclusione, Hominem FIDE Justificari, dubitaret. ASSUMPTIO Probatur, ex Lege

Ac primúm Lege, Lucéq; Naturali, ex qua omnes omnium Gentiũ Leges, & honestatis, officiorúmq; præcepta prodierunt, neminem únquam divinam hanc Justitiam fuisse assecutum, ostendit: quód quãvis τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, quicquid de Deo cognosci poterat, fuerit omnibus hominibus, Deo ipso intús illis patefaciente, cognitũ: ipsi tamẽ spreta ac corrupta ea Luce, in eam impietatem, & improbitatẽ prolapsi sint, ut omnia divina & humana jura violárint, ac corruperint. Quod primo capite docet, & secundi initiò. Naturali.

Quoniam autém Judæi, ob ac- Mosaica.

ceptam á Moſe Legem, ſacráſq; cæremonias (quibus ſua peccata facilé expiari crederent) ſe communi hominum numero eximebant: eos étiam ac ſpeciatím violatæ corruptæq; ſuæ Legis convincit, reliquis eos Gentibus in peccato pares eſſe demonſtrans. Undé illam Syllogiſmi Aſſumptionem elicit, veſ: 20. *Quapropter nulla caro*, inquit, *Juſtificabitur in conſpectu ejus, ex Operibus Legis*. Quo loco hanc prætereá addit rationem. Quód *per Legem*, quæ fuit Judæorum Pædagogia, *ſit peccati Agnitio*. *At núnc*, inquit, *abſque ea Lege revelata eſt in Evangelio per* FIDEM JESU *Divina illa Juſtitia*, quæ ad ſalutem, vitámque beatiſſimam conſequendam eſt neceſſaria. Undé infert quod hoc verſu habetur. *Concludimus igitur, Hominem* FIDE *Juſtificari abſque Operibus Legis*. Nam certé cum homo aut Lege, Operibúſq;, aut Fide & Evangelio

CONCLUSIO.

lio Justitiam ac Vitam assequi debeat, nec eam ullus per Legem néque Naturalem, néque Mosaicam assecutus únquam fuerit: relinquitur, si ulla sit vita æterna (de quo non dubitat Apostolus) Hominem FIDE absq; Operibus Legis Justitiam, quam beata étiam vita consequatur, adipisci. Hoc ígitur loco duo dicit Apostolus: Primúm, Hominem FIDE Justificari. Deindé, Absque OPERIBUS Legis. De utróq; ordine dicemus.

¶ VITA æterna ultimus est finis, & extremum rerum omnium expetendarum, ad quod nobis opus est perfecta, hoc est, divina Justitia, quã in Evangelio de Christo Paulus ait omnibus hominibus exhiberi, sed ad quam percipiendam sit vera, vivá-que opus FIDE. Itáq; á Fide est totius hujus boni initium, quia FIDES Instrumentum est, quo Christus, ho-

1. FIDE justificamur.

 minum

minum Justitia in Evangelii prædicatione oblata, apprehenditur. Mirum ergó non est si tám frequens sit FIDEI mentio, tantúmq; illi ubíq; tribuatur, ut cúm hic Paulus, subductis totius disputationis rationibus, ait, *Colligere se, Hominem* FIDE *Justificari*. Itáque pro viribus enitendum est, ut quid sit hæc tám pretiosa Fides rectè intelligatur. Ab eo n. res tota pendet, & hoc unum est quod præcipuè docere conantur Theologiæ Professores.

FIDES quid sit.

Hæb. 11. 1

*SI autém FIDEI Definitio quæratur, omnibus anteponendam existimo eam quam Apostolus tradit ad Hæbræos, cúm ait, FIDEM esse ὑπόστασιν *Rerum Sperandarum, & demonstrationem eorum, quæ non videntur*. Quámvis n. non satis exacta videri possit, tamen si accuratè singula expendantur, ea continet, quæ Fidei vim & naturam explicãt, & quibus positis, reliqua, quæ desiderari

derari videantur, facilé conſequantur, ut ex ſubjectis eodem capite Exemplis perſpicuum eſt. Deínde, quúm varié ab aliis definiatur, huic, útpote Apoſtolicæ, potiús ſtãdum eſſe judico. Nos tamen de ea, hoc potiús, quám illo modo definienda, contendere nolumus. Nec quámvis hanc Apoſtoli inprimis nobis probari dicamus, alias orthodoxorum ſcriptorum improbamus, quibus conati ſunt illius étiam vim, & naturam exprimere, ut nos étiam in præſentia facere conſtituimus.

FIDEI cauſa efficiens.

✻A SPIRITU autém Sancto, qui illius eſt in nobis efficiens cauſa, initium facientes, quomodó eam in nobis formet, aperire conabimur: hoc enim rem maximé illuſtrare nobis videtur. *Nemo venit ad me*, inquit Chriſtus, *niſi Pater traxerit illũ*. Ioh. 6. 44.

Fidem in nobis efficit Spiritus ſanctus,

Itáq; primus Patris nos ad Filium per Spiritum ſuum trahẽtis, hoc eſt, FIDEM qua una Chriſtus apprehen-

henditur, in nobis Efficientis, Effectus eſt, Mentis ab Errore Liberatio, ac pro eo, cœleſtis veritatis, hoc eſt Dei in Chriſto Redemptoris, vera certáq; COGNITIO: cũ videlicét Mens, quæ anté Deum aut penitús ignorabat, aut Idolum pro eo colebat, & caduca hujus mundi bona, honoréſq; vera certáque bona judicabat, á Spiritu ſancto edocta, Deũ verũ non modó creatorem, ſed étiam in Chriſto Redẽptorẽ eſſe novit, ac tenet, in eóq; eſſe ſummum Bonum intelligit; hæc autém caduca omnia umbras eſſe, néc hujus mundi vitæq; vanitatẽ ignorat. Hæc veró quãvís quædam FIDES ſit & hactenús vera, certáq; mentis Perſuaſio, nondúm tamen ea eſt quam quærimus, quæ Juſtificans appellatur, quæqué omnium nobis bonorum cauſa exiſtit. Hæc.n. quantúmvis certa, de rebus veriſſimis, & ſalutaribus, Cognitio Perſuaſióque, Mentis eſt ſolius, quæ

COGNITIONE.

quæ in impuros étiam ſpiritus, improbóſq; homines, qui hæc noſtræ ſalutis Myſteria norunt, cadit. At Deus FIDE Juſtificante totum ſibi hominem, non ejus tantúm partem conſecrat. Itáque niſi hæc, quæ in mente eſt veritatis Cognitio ulteriús progrediatur, ac Voluntatem ad Boni Cogniti Amorem incendat, ac rapiat, erit quidém in mente de rebus Cognitis Fides & certitudo, ut omnes nôrunt bis bina eſſe quatuor, ſed mortua tamen erit, planéq; inutilis FIDES, quod ad Juſtitiam, ſalutémq; attinet: quia fine ſuo deſtituitur. Quod.n. finem ad quem factum, ac deſtinatum eſt, non aſſequitur, inutile, ac vanum eſt. Finis autém Cognitionis Boni eſt, ut illud Voluntas appetat, & perſequatur, apprehendátq;, ac ſibi applicet, ut ſit ſibi Bonum: Ut finis Cognitionis Mali eſt, ut illud Voluntas nolit averſetur ac refugiat, né ſit ſibi malum.

lum. Itáque ut Voluntati fruſtrá Mens Malum demonſtraverit, niſi VOLUNTAS illud refugiat ac vitet, itá étiam fruſtrá ei Bonum oſtenderit niſi illud appetere ac perſequi Homo velit. Suum n. Finem illa Boni in Mente Notitia nõ aſſequetur, ſed eo fruſtrata remanebit in MENTE Otioſa, ac mortua.

2 VOLUNTATE.

*ITAQUE non ſatis eſt mentem Divinitús eſſe illuſtratam, ſed híc prætereá requiritur ſecũdus Spiritus DEI in nobis Effectus, quo *VOLUNTAS* noſtra, quæ hujus mũdi Bonis, & vanis rerum caducarum Amoribus eſt implicita, ad ſummum illud Bonum, in Chriſto nobis oblatum expetendum excitetur, ut illud appræhendat, ſibíq; applicet. Per hunc enim erga Deum á mente Voluntati oblatum, Amorem, illa Dei in mente Notitia, quæ alioquí otioſa ac mortua foret, vivere primúm, ac ſeſe movere incipit.

Qua

Qua de causa aliquandó diximus, Primum hoc Dei summíq; Boni desiderium, esse illius FIDEI, quæ alioquí in Mente mortua esset, Animam, ac, Nos Amore cum Deo conjungi. Nam Cognoscendi facultas est VOLUNTATIS, in qua inest appetitus velutí Oculus, quo in Appetendo dirigatur: & Appetendi facultas est Cognitionis, quæ *MENTIS* est velutí Manus, qua appræhendat, sibíq; applicet, quod expetendum judicat. Síc Martyr 1. Cor. 8. ait, *Scientiam esse Charitatis Oculum, & Charitatem esse Scientiæ Manum.* Undé étiam Calvinus ait, *Communicationem cum Deo nullam esse posse ábsque Amore.* Justificās ígitur FIDES, omnium consensu, Melanchthonis, inquam, Calvini, Martyris, aliorúmque qui adversus Pighium eam in sola Mente collocantem, disputant: Justificans, inquam, FIDES non minús

1. Ioh. 2. 5.

in

in VOLUNTATE, quám in Mente ſedem habet, imó in hac magís quám in illa. Quod Calvinus confirmat cúm ait, *Illam Cordis eſſe magis quám Cerebri*: & *Affectus magís quam Intelligentiæ*: & ubíq; duas illius partes conſtituens, *Notitiam in* MENTE *& Fiduciã in VOLUNTATE, hanc potiorem illius partem eſſe aſſerit, ut ſine qua prior illa ſit inutilis*. Et Hemingius in Enchiridio, Londini impreſſo, hanc *Cordis fiduciam* vocat *Fidei formam, quæ ex Notitia naſcitur, Amorémque illũ conſequitur*. Idó étiam Martyr Rom. 10. ait. *Cúm paritur in nobis* FIDES *Sp. Sancti duplex opus accedit. Alterum quo MENS illuſtratur, alterum quo Voluntas immutatur, ut prorſús velit, quod anteá repudiabat*. Et hic eſt ille Amor quem dixi Fidei Manum, *ſine quo nulla poteſt eſſe noſtri cum Deo conjunctio*, ut ait Calvinus. Quamdiú.n. Voluntas

tas est á Deo aversa, ei non conjungitur, sed ab illo sejungitur. Itáque omnes isti quúm FIDEM, quæ in sola Mente est, mortuam esse intelligant, Fidem Justificantem ac vivam in *VOLUNTATE* étiam collocant, quia sine Voluntatis aliquo motu ea vivere, nec sese movere potest. Quúm.n. á Voluntate omnes proficiscantur erga bonum & malum motus actionésq;, Primus autém omnium Cordis Affectuum motus erga Bonum sit AMOR, Boníq; Cogniti Desiderium: necesse est, si quis in FIDE sit Cordis erga Bonum á *MENTE* oblatũ motus, esse étiam aliquem illius Amorem & Charitatem.

* SED né hoc quidém satís est, néque híc nos deserit SPIRITUS SANCTUS. Posset enim quis & summum Bonum nosse & illud utcúnq; expetere, qui tamen id se consequi posse desperans, alió se con- 8 FIDUCIA.

verte-

verteret, illiúſq; ſtudium penitús omitteret. Itáq; tertius Sp. ſancti, in nobis FIDEM formantis, eſt adhûc neceſſarius Effect⁹ qui FIDUCIAM veniæ impetrandæ (ſumus .n. omnes Peccatores) optatíq; Boni conſequendi in cordib⁹ noſtris gignat, quæ ex eo naſcitur, quód Deus, qui ſumé eſt in Chriſto miſericors & clemens, ſit jam MENTI notus: quippé cui ſit perſuaſum, Deum, pro ſumma ſua miſericordia, ac bonitate peccatoris converſionem, ac vitam malle quám mortem. Eum .n. propterea jám Amare, ac quærere incipit, veniámque ſe conſecuturum confidit. Sic autém affectus homo non eſt otioſus, ſed petit quod expetit: quærit quod ſibi deeſſe ſentit: pulſat ut ſibi aperiatur.

Eſt ergó hæc FIDES non iners quiddã & otioſum, ſed efficax maximé, & actuoſum, totum Hominis Animũ vehemẽtér afficiens. Mens enim

enim Deum verum intelligit in Christo Redemptorem, Voluntas tanti Boni se esse participem, & á peccato, exitióq; liberatam expetit: quod étiam se ex summa Dei clementia consequuturum sperat, ac Confidit: quæ sunt Mentis Voluntatísque ad Deum conversæ, internæ Actiones, in quibus est vera FIDES, verúsq; Cultus, qui primo Legis mandato requiritur, ut ait Melancthon. *Cultus qui hic præcipitur*, inquit, *est Dei Cognitio, verus Timor, vera* FIDES. In Locis.

De his autém internis Actionibus, id est de vera Fide, sæpé sum loquut', apertiús docere cupiens, quid esset Justificans FIDES, & ut eam ostenderem nō in sola Mente sed étiam ac præcipué in *VOLUNTATE* sedem habere. Nec primus ac solus ità sum loquutus. Nā Martyr ità Opera distinguit, Ut quædā sint interna, ut Credere, Amare, Timere, &c. alia autém externa. FIDES Rom. 11.

ergó interna quædam eſt Mentis, & *VOLUNTATIS* Actio, non autém otium & ceſſatio.

Ideó ut hunc locum concludam, mihi FIDEI Definitio ab Hemingio in Enchiridio tradita, non improbatur, cúm ait, FIDEM eſſe Notitiam, & aſſenſum promiſſæ, & expetitæ Miſericordiæ Dei cum firma Fiducia. Nam hic & Dei miſericordis Notitia in Mente requiritur, & ejuſdem in *VOLUNTATE* cum Fiducia Appetitio. Quæ tria ad Fidei Vivæ, ac Juſtificantis naturam conſtituendam cócurrere oportere diximus. Quæ eadem étiam illa Apoſtoli ad Hæbræos FIDEI Definitione continentur. Cúm.n. eam vocat, Demonſtrationem rerum quę non videntur, veram Dei, æternæqué fœlicitatis in Mente *NOTITIAM* ſatís exprimit: ubí autém Spei facit mentionem (quúm ſpes ſit futuri Boni expectatio) illius cogniti Bo

ni in

ui in *VOLUNTATE* Desiderium non obscuré designat. ὑπόστασις autém vocat rerum sperandarũ, ob certam expectati illius Boni Fiduciam. Primúm autém Fides á Deo peccatorum veniam, & cum eo reconciliationem, déinde étiam eum Fiducia coronam expectat.

JAM veró quæritur, Utrúm hæc FIDES, vél quod idem est, hæ Mẽtis, Voluntatísque Actiones, Hominem Justificent? Qui dixerit, Hanc Fidem Hominem Justificare, nihil dixerit quod vulgatum ac tritum nõ sit: At veró qui dixerit, Internas illas Mentis Voluntatísque Actiones Hominem Justificare, novi quiddam afferre videatur. Nos tamen, forté, aliquandó ità loquuti sumus, Cúm tã multos videntes otiosam, ac mortuam Fidem pro viva usurpare, quid vera Fides esset apertiús explicare conaremur. Accerté, si vera Fides Hominem Justificet, & ea sit, non in

otio sed in his Mentis, ac Voluntatis actionibus sita, cur non, ut FIDES, sic hæ étiam Actiones dicentur Hominem Justificare? Constat. n. (idq; omnium consensu) FIDEM in se Actionem quandam esse: Quænam autém ea sit, explico, cúm dico, Eam esse *MENTIS*, Deum in Christo Redemptorẽ intelligentis, ac *VOLUNTATIS*, á peccato & Morte cum FIDUCIA liberari cupientis, ac Justitiam, vitámq; expetentis, quæ in uno tantúm Christo consequitur. Quid ígitur sí quis dicat, Has interiores Mentis, Voluntatísq; Actiones Hominem Justificare? impiumné quidpiam dixerit? quúm nihil hic Homini tribuat, sed totum hoc Spiritus sancti opus esse intelligat, *MENTEM* vera Dei Cognitione illustrantis, & *VOLUNTATEM* ad Boni cogniti AMOREM cum FIDUCIA excitantis? Sic enim Fidem omnes dicimus esse

Actiones quomodó dicãtur Hominem justificare.

Spiri-

Spiritus sancti donum, & eâ Hominem Justificari. Certé Calvinus ait, *Dei in Mente Notitiam Fidei tantúm dimidiam partem esse, quæ parúm sit profutura, nisi ad eam accedat* FIDUCIA, quam *alteram*, ac *præcipuam Fidei partem* ubique constituit. *Itáque*, inquit, *túm demúm suis omnibus numeris absoluta est* FIDES, *ut gratiam apud Deum nobis comparet, cúm ei Confidimus, salutémque ab eo certó nobis promittimus*. Ait, igitur, Hanc Actionem qua Deo Confidimus, Gratiam nobis apud Deum cóparare: néq; tamen hoc FIDEI dignitati tribuit, néq; nos id dicimus, aut sentimus, néque unquam diximus, aut sensimus, verúm sivé his, sivé aliis verbis usi fuimus, aliud non intelleximus, néq; intelligi voluim⁹, quám quód Calvinus citato jám loco, imó quam reliqui omnes Theologi intelligunt, cúm dicunt, Hominem FIDE Justificari: quo dicto Heb. 11. 6.

 nihil

nihil in ſacris Literis, omniúmque Theologorum ſcriptis vulgatiús, nihílque tritiús: & tamen omnes intelligunt, néque FIDEM ſua dignitate, néq; quatenús Actio eſt hominem Juſtificare, ſed quatenús Chriſtum, Hominum Juſtitiam, apprehendit, ac credenti applicat. Si uſquám diximus, Hominem internis illis *MENTIS*, ac *VOLUNTATIS* Actionibus, quæ vera, viváq; FIDES ſunt, Juſtificari intellexímus, ac diſertis ſæpé verbis monuimus, Fidem, non ſua nos dignitate, nec quatenús Mentis, ac Voluntatis actio eſt, ſed tantúm quatenús Chriſtum apprehendit, Juſtificare. Neque n. proprié FIDES eſt id, (ut ait Martyr) *quod nos Juſtificat, ſed quo Juſtificamur*, h. e. Inſtrumentum quo Chriſtum apprehendimus, ut manu cibum quo alimur, quam tamen dicere poſſumus nos alere; quia cibū, quo alimur, apprehendit, nobíſque appli-

FIDES ſua dignitate non juſtificat.

applicat. Ut ígitur cibo nutritionis, ſic étiam Chriſto Juſtificationis tota laus eſt perpetuó tribuenda.

FIDES mendica eſt nil merita.

Atque, ut hoc magís intelligatur, ſciendum eſt, Nihil eſſe quod minús ſibi arroget, magíſque meritis adverſetur, quám FIDEI Natura. Eſt.n. FIDES, velutí mendica manus, eleemoſynam á Deo petens, hoc eſt Panem vitæ æternæ ſibi dari poſtulans, quámvis eo intelligat ſe eſſe penitús indignam ob peccata, quæ agnoſcit, & ingenué confitetur. (Eſt enim cum FIDE abúſq; illius initio perpetuó conjuncta Reſipiſcentia.) Ideó Calvinus hic ait, FIDEM *nihil afferre præter humilem inopiæ Confeſsionem. Ergó hanc inopiæ Confeſsionem affert, ab eáque liberari cupit, ac poſtulat, divináque gratia ditari, quod étiam ſe ex Dei benignitate conſecuturum ſperat.* Et Noëllus ait, *Hanc Peccati Confeſſionem medicinam quandam eſſe peccatoribus, ad*

Calvinus.

A. Noëllus

veniam impetrandã neceſſariam. Homo ſigitur ante FIDEM, Mente occæcatus, Idolum colit, & voluntate ad finitum tantum, caducúmq; Bonum rapitur. At Fide præditus, & ſummũ Bonum Intelligit, & ſummã Miſeriam videt, háncq; effugere, illud adipiſci ſerió cupit. Ita autém affectus Homo, hòcq; Inſtrumento id eſt, viva hac Fide præditus & inſtructus, á Deo miſericordi ſtatim quod concupiſcit aſſequitur, Jeſum, nempè Chriſtum, & in eo oblatam mortalibus miſericordiam ac vitã, ſtatím, inquam, hoc tantum á Deo Beneficium conſequitur, quia non poteſt Deus (qua eſt ſumma clemẽtiâ) hominem, itá ad ſe converſum, negligere, nedúm repellere.

FIDES apprẽhédit Chriſtum, non eſt ipſa apprẽhẽſio.

Itáq; cúm dicimus FIDEM, quũ Inſtrumentum ſit, quo Chriſtum appæhendimus, hanc Chriſti apprẽhenſionem (quæ illius Inſtrumẽti Actio quædam eſt) illiúſq; ad nos applica-

catio-

tionem, & in nobis habitationem præcedere, itá docendi causâ distinguimus: tempore.n. hæc non distinguuntur. Nam FIDES simúl átq; est Christum apprehendit, sibíq; applicat: sed tamen naturâ, ut causa præcedit. Nam ut ad solaris lucis perceptionem necesse est primúm te oculum habere, cúmque aperire, quo aperto statim Lux percipitur, quippé quæ se sua sponte ingerat: sic ad Christi perceptionem necesse est te primúm *MENTEM*, quæ Animi est Oculus, divinitús illustratam habere, déinde étiam *VOLUNTATEM* á Bono, á Mente oblato, non aversam, sed ad illud incessam: túm.n. summum illud Bonum, (qui Deus est in Christo) statim percipitur, imó sese sua sponte, homini sic divinitús comparato, ingerit, ac cum eo sese communicat. Et tamen ut nec Oculus, nec oculi apertio proprié est Lucis perceptio, sed id, quo

illa

illa fit: Sic nec Fides proprié eſt illa Chriſti apprẹhenſio, ad nóſq; applicatio, ſed id quo ille apprẹhenditur, ut docet Calvinus. Ut ergó Manus Cibum appræhendit, nobíſque applicat, quo alimur: Sic FIDES Chriſtum, Animorum noſtrorum cibum appræhendit, nobíſque applicat illius Cupidis, nó ſecús ac famelicus cibum, avidé correptum, devorat: quia ábſq; Chriſto ſibi pereundum eſſe intelligit, & in ipſo, ac per ipſum vivendum, qui FIDE eſt prædítus. Itáque FIDES nihil ſibi tribuit, ſuúmve agnoſcit præter inopiam ac miſeriam, quam effugere cupit: nec eſt FIDES proprié quod nos Juſtificat, ſicut nec Manus alit, ſed id quo Juſtificamur. Eſt.n Chriſtus qui eâ apprẹhenditur, Animorum noſtrorum Cibus.

Hac ígitur FIDE, quæ *MENTEM* ac *VOLUNTATEM* Hominis occupat, non illa mortua, homi-

hominem Justificari intelligimus. Et sic explicamus, quod hic ait Paulus, *Hominem* FIDE *Justificari*. In quo totam nostræ salutis Laudem Deo tribuimus, cùm Fidem Dei donum ac Spiritus sancti in nóbis Effectum esse dicimus, nec tamen adhúc eam solam ac per se nos Justificare, sed tantùm Instrumentũ esse, quo Christum, Iustitiam nostram, apprehendimus.

¶ JAM supereſt ut ultimum hujus versiculi membrum étiam explicemus, quo ait Apostolus, Eam nos JUSTITIAM consequi, absque Operibus Legis. Hoc n. durum est, & bonis Operibus, quæ Lege præscribuntur, & in quibus nobis ad vitam æternam contendentibus perpetuó versandum est, contrarium videtur. Si n. JUSTITIA est vita ac salus, & Justitiam absque Legis Operibus consequimur, valeat igitur

Iustificamur absque Operibus Legis.

tur illud bonorum Operum ſtudiũ. Cur in illis nos torquebimus, ſi illis nõ ſit opus? Non eſt autẽ opus, ſi abſque illis id quod volumus ſummum nempé Bonũ conſequimur. Sed obſervandum eſt *LEGEM*, Legiſq; *OPERA* hic FIDEI opponi, quod ex totâ hac Pauli diſputatione plus quám manifeſtum eſt. At Legis Opera FIDE deſtituta, eíque oppoſita, quomodó quempiam Juſtificarent, quúm ſine Fide nemo placere Deo poſſit, nec ullius OPERA. Itáq; hic non excluduntur tantúm *Cæremonialia*, ſed étiã *Moralia*, quæ ſunt ſecundæ Tabulæ, átq; étiam ea, quæ primæ, ut *QUIETIS* Obſervatio, eáq; Dei ipſius *INVOCATIO* (quamvís primi Mandati eſſe videatur) quam Chriſtus Hypocritis explicat, Mat. 6. *Cũ precaris*, inquit, *né eſto ſimilis Hypocritis, qui cupiunt apparere Hominibus, Nam ex eo mercedem ſuam habent*. Quomodó ú. hæc

hæc, reliquáve primæ Tabulę Opera ábsq; FIDE, Pietate, & erga Deum Charitate, Deo placerent, hominéque cujus *MENS* esset á Deo aversa, Justificarent? Sola ígitur Fides excipitur, in qua est verus, ac spiritualis Dei cultus, qui primo Mandato jubetur, ut ante ex Melanchthone audivimus.

Sed dicet hic aliquis: Quid si hæc Legis OPERA ex FIDE, hoc est, ex pura, synceráq;, & ad Deum vero Amore, qui primo Mandato Jubetur, conversa *MENTE* proficiscantur? Hominémne Justificabunt? Si, inquam, homo FIDE prędítus, ea quantúm potest exequatur, quæ prima, secundáq; Legis Tabula continentur, sacráq; ex FIDE Cęremonias usurpet, hísne Legis Operibus ex FIDE manantibus Justitiam consequetur? Minimé veró. Quod quamvís sit inter nonnullos controversum, unica tamen, ob temporis

OBJECTIO. Núm Opera ex FIDE facta, justificent.

SOLUTIO. Non justificăt, quòd sequuntur justificatum.

poris anguſtias, (ad alia.n. propero) ſed aperta ratione evincam. Omnia hæc FIDEI Opera, quúm Fidei effecta ſint, eam ſequuntur, ea veró hæc, ut cauſa, præcedit. Atqui hoc omnes concedent Fidem ſimúl átq; eſtá Spiritu ſancto in nobis formata, hominem Juſtificare. Prima.n. ac præcipua illius Actio eſt Chriſti Apprehenſio, qui poſteá per FIDEM ac Spiritum ſuum in nobis habitans, novum gignit *AMOREM*, quo Deum non ut bonum tantúm expetimus, cum eo conjungi cupientes, (Id.n. ſcimus nos jam ex ipſius gratia obtinuiſſe) ſed ut Patrem jam ac Servatorem noſtrum reverentes unicé étiam redamamus, & illius causâ, homines. Sed hæc erga Deum Charitas, quúm ſit FIDEI, ac Chriſti jam in nobis habitãtis, Effectus, non poteſt nos Juſtificare, quúm jam Juſtificatos ſequitur. Sola ígitur FIDES ábſq; ullis præcedentibus

bus Operibus bonis, nos, Chriſtum apprẽhẽdendo, Juſtificat, omniúmq; bonorum *O*perum internorum, & externorum erga Deum, & erga homines perpetuó cauſa eſt. Ut ſit veriſſimum, quod ex Auguſtino vulgó citatur: *Bona Opera non præcedere Juſtificandum, ſed Juſtificatũ ſequi.* Itáque nulla Opera Legis, ſivé ábſq; Fide, ſivé ex Fide facta, hominem Juſtificant.

Bona Opera ad ſalutẽ ſunt neceſſaria, non ad juſtificationem.

SED né ſic Pietatis, ac bonorum Operum ſtudium extingui, aut ullo modo minui á nobis videatur, hîc rurſús quærendum, & explicandum eſt, Núm ideó Bona Opera ſint ad ſalutem, vitámq; æternam non neceſſaria? quæ Quæſtio eſt non parúm controverſa étiam inter eos, qui reformatam Religionem profitentur. Nam Illiricus, & cum illo quidam viri docti hanc propoſitionem *Bona* OPERA *eſſe ad ſalutem neceſſaria*, erroneam eſſe exiſtimant, adeóq;

deóq; ut impiam, & hæreticam ab Ecclesia rejiciendam censent. Sed alii nonnulli mitiores sunt, é quorum numero est Bucerus, qui ait, *Quúm Deus sit unumquémque secundum sua* OPERA *Judicaturus se núnquam negaturum, quín bona* OPERA *sint quodammodó ad salutem necessaria.* Quod Beza in prima parte Quæstionum explicat, cúm ait, *Ea esse ad salutem necessaria, ut quiddam necessarió ac perpetuó cum vera* FIDE *cohærens.* Quæ est étiam Hemingii, illud in Syntagmate explicantis sententia, cúm ait, *Ea esse necessaria, nõ ut causam, sed ut viam, qua ad metam perveniamus.* Sunt ígitur bona *OPERA*, ut hoc paululúm explicem, ad Justificationem quidém non necessaria, quippe quã non præcedant, sed sequantur: sed tamẽ ad salutem necessaria. Est ergó inter Justitiam, & quæ ex ea sequitur, Salutem, distinguendum. Hæc. n. duo

duo étiam Tempore distinguuntur. Justificamur.n.priús, deínde Justificati servamur. Justificamur eo Tẽporis momento, quo FIDE donati, Christum apprehendimus: Servamur autém cúm, solutis Corporum vinculis, ad Cœlestem gloriam recipimur. Bona *OPERA* nulla Justificationem præcedunt præter FIDEM, quæ in se Actio quædam est, ut anté diximus. At Bona Opera pro Temporis intervallo, quod inter Justificationem, & Mortem intercedit, semper quædam interveniunt, ac salutem præcedunt, plura in nonnullis, in aliis pauciora, sed tamen semper aliqua, étiamsi cõtingat, ut quis paulo post momentô moriatur, quã Justificetur. FIDES enim hæc viva nunquam est otiosa, ut ex illo Latrone constat, qui & Christum oravit, & peccatum suum agnovit, & alterum ad Resipiscentiam adhortatus est. Ergó Deus, deletis Fidelis

Justificatio & salus quomodó differant.

D.i. homi-

hominis,& ad ſe converſi,omnibus peccatis,eum judicabit ſecundũ bona,quæ remanent, & ex FIDE prodierunt, OPERA, ut ſcribitur, Mat.25. Ideóq; vita æterna eorum OPERUM Merces ſæpé vocatur,ad eáq; nos propterea meritó ad hortantur Literæ.

Vita æterna merces Operum, quomodo,

Néque tamen ex illis proprié eſt ſalus, ſed ab uno Chriſto, in nobis per Fidem habitante: verúm illa via ſunt, quæ ad vitam æternam perveniendum eſt,ac proindé ad hoc conficiendum iter,neceſſaria. Quemádmodum.n. ſagitta ad Metam non pervenit, niſi per aërem volando, nec ego hínc domum ire,niſi per viam,poſſim, néq; tamen ſagittæ, aut mihi via cauſa vera eſt perveniendi quó volo, ſed vis, qua illa impulſa, & naturalis in me agẽs facultas, quę motũ ciet: Itá vera FIDES ac Chriſtus,per FIDEM in nobis habitans, vera,ac germana cauſa eſt,non modó

Nó proprié

Chriſtus.n. vera & germana cau-

dó Juſtificationis, ſed étiam ſanctificationis, ſalutiſq; noſtræ. Nam Chriſtus, qui vita eſt, quam quærimus, idem étiam Via eſt, Via, inquã, Sanctitatis & Juſtitiæ, per quam nobis eſt, ſi ad metam pervenire volumus, neceſſarió gradiendum. ſa Iuſtificationis, & ſanctificationis

Hæc ígitur inter Juſtificationem, & Salutem diſtinctio eſt obſervanda, quam étiam, teſte Calvino, tenuit Apoſtolus, cúm in eum locum ſcribens, *Corde creditur ad Juſtitiam, & Ore fit Confeſsio ad Salutem*, ait, *Paulũ ita diſtinxiſſe ut Juſtificationis cauſam ad Fidem referret, deinde oſtenderet, quid ad ſalutem conſummandam eſſet neceſſarium.* Quod étiam docet Martyr, ad Rom. 11. FIDES, inquit, *per ſe ſatis eſt ad Juſtificationem: poſtquam autém ſemel ſumus Juſtificati, non ſatis eſt ad obtinendam ſalutem dicere*, CREDO. *Accedat .n. oportet ſancta vita, & bona Opera: per ea .n. tanquam per gradus* Rom. 10. 10.

quoſdam Deus nos perducit ad fœlicitatem, inquit. Verúm, qui nos Fide Juſtificavit, idem étiam ſanctificat, & ad ſalutem perducit: Chriſtus nempé per Spiritum ſuum in nobis habitans. Itáque hoc rurſús modo tota noſtra Juſtificationis, ſanctificationis, ac ſalutis laus ab initio ad Finem úſq;, uni Chriſto tribuitur, homini nihil decerpitur: néque tamen bonorum Operum ſtudium á nobis imminuitur, tãtum abeſt ut extinguatur, ſed augetur maximé, & accenditur.

JAM veró unum ſupereſt, paucis étiam explicandum, quod anté attigimus, ubí diximus, Nos nullis Legis Operib° Juſtificari, ideóq;, Omnia ſecundæ & primę Tabulæ excludi, excepta unica FIDE, quam Deo primo Mandato habere jubemur. IN FIDE autẽ eſſe poſitum Dei cultum nemo, uti exiſtimo, negârit. Quid ígitur, dicet aliquis, *LEGE*-

né

né præcipitur Fides? Quod sí FIDES pars Opúsve Legis sit, ac Nos Justificet, quomodó Lege non Justificabimur? Quod .n. parti convenit, toti non erit denegandum. Ideó Fidem *LEGE* non præcipi quidam volunt, illúdque ex eo aperté constare putant, quód Paulus, ut anté diximus, ubíq; fidem Legi opponat, ut inter se contraria. Videndum ígitur priús est, Utrúm FIDES aliquo modo *LFGE* præcipiatur: deínde sí præcipiatur, Cur Eam Paulus Legi opponat?

PRIMÚM autém constare existimo, si FIDES Lege úsquam præcipitur, eam primo Mandato præcipi, illis nempé verbis: *Ego sum Deus tuus, qui te ex Ægypto eduxi*: & *Non habebis coram me Deos alienos*. Hoc enim est, Ego solus Deus tuus ero, & tu totus, in me uno totam tuam Fiduciam, salutísque spem repones. Sí ígitur FIDES Lege præcipitur, his

FIDES nũ LEGE præcipiatur?

verbis præcipitur: At his verbis præcipi jam utcúnq; étiam apertum esse existimo, sed tamen id paucis confirmabo. Quúm Lege præcipiatur omnis erga Deum pietas, ea FIDEM præcipi, in qua est omnis pietas, plusquám consentaneum est. Númquid voluit Deus populum suum in se credere, sibíq;, quod caput est Religionis, omnem Fidem habere? Si ergó hoc imprimis voluit Deus, & ideó ubíq; de suis conqueritur, quód sibi eam FIDEM non habuerint, cur illis sua perfectissima Lege non præciperet? Aut cur de illis, quód non crediderint, conquereretur? Deindé, sí Fidem Lege non præciperet, cur reliqua, quæ sine Fide frivola, ac vana sunt, præciperet? Certé, sí fidem Deus, Lege nullo modo præcipit, nec requirit, Hypocrisin tantúm præcipit, quia omnia, quantúmvis in speciem bona, & ad Legis normam facta videantur, si

FIDE careant, Hypocritica ſunt, ac vana.

At dices, Nulla ſit in Lege Chriſti mentio, ſine quo non eſt FIDES. Hoc veró non ita eſt, quinimó frequentiſſima eſt in Lege Meſſiæ mẽtio, ac illius, & oblationis ipſius in ablutionibus, & ſacrificiis perpetua adumbratio, ac repræſentatio. Ideóq; Calvinus ait, *Eos præpoſtera* LEGIS *intelligentia eſſe imbutos, qui prætermiſsis de Meſsia promiſsionibus, quæ ubiq; in Lege occurrunt, in Legis* OPERIBUS *Juſtitiã quærunt.* Christus nobis Lege proponitur. Rom. 3. 31

At in Decalogo nulla ſit Chriſti mentio. Néq; hoc abſoluté verum eſt. Quúm. 11. Deus ſe *Deum tuum* eſſe, ait, *qui te ex Ægypto liberaverit* nonné ſe Redemptorem proponit? At non eſt Redemptór niſi in Chriſto. Implicité ergó his verbis continetur, ac nobis proponitur Chriſtus, quod factum eſt pro illius Temporis ratione, quo omnia e-

rant adhûc involuta. Ideóque aliquandó diximus, NINIVITAS quibus (eorum viſa FIDE) Deus pepercit: Chriſtum implicité ſaltém cognoviſſe, in eóq; credidiſſe. Sic
Heb. 11. 6. Calvinus ait, *Eam Fidem qua credimus Deum eſſe, & iis remuneratorem qui eum quærunt, ſpem ſalutis ac vitæ æternæ in ſe continere, nempé quia Deus non eſt remunerator niſi in Chriſto.* Sed né quis de eo, quod dixi, Fidem Lege præcipi, ac Chriſtum nobis étiam proponi, dubitet, P. Martyris de hac re ſententiam, quam híc deſcriptam habeo, legam. Is ergó ad Romanos 7. ait, *Primum Mandatum eſſe arbitror, quod quaſi proœmii loco cæteris præponitur:* Ego ſum Deꝰ tuus: *Nam his verbis ſancitur ut illum pro vero Deo habeamus. Et, ſi quis penitús rem introſpiciat,* inquit, *videbit, unà cum hoc Mandato nobis offerri Evangelium. Deus in illo pollicetur, ſe velle eſſe Deum noſtrum: & in eo*

quód

quód commemoratur liberatio ex Ægypto, Promiſsio de Chriſto continetur, inquit. Hæc enim ipſa ſunt illius verba. Et alio in loco hanc ipſam, de FIDE, Quæſtionem, *Utrúm Lege præcipiatur*, proponit, ac diſſolvit his verbis, *Videtur étiam nonnullis*, inquit, *quúm* FIDES *Opus ſit* LEGIS, *& ab ea præcipiatur, conſequi, Nos ex Lege Juſtificari. Nam quod partis eſt, a toto quoque non abhorret. Verúm ad iſtos dicimus: Fidem, qua Opus noſtrum eſt, & Actio humanarum facultatum, partem Legis eſſe, & ab ea præcipi, ſed ab illa hac ratione non Juſtificamur, ſed per illam Chriſtum apprehendimus, quo Juſtificamur.* Et Noëllus in Catechiſmo idem étiam aperté indicat, Cúm de LEGE loquens, ait, *In hac Lege Deus omnia ad Voluntatem & arbitrium ſuum revocavit, ut nulla ipſi, neque erga ſe, neque erga Homines pietas probari poſſit, niſi ea ſola quæ ad hujus regulæ amuſ-*

1. Cor. 10.

Noëllus.

muſsim per omnia quadret. Jam sí nulla pietas Deo probatur, quæ ad Legis amuſsim non quadret, quomodó FIDES Lege non præcipitur, in qua eſt ipſa pietas.

Sed dicet aliquis, Legem tantúm præcipere ut Amemus, Deum, nempé, & Homines, non autém ut Credamus. Verum id quidém eſt, sí verba tãtúm ſpectes, ſed sí verborum ſenſum rimeris, ut faciunt Interpretes, comperies, Lege Amorem, vel erga Deum Charitatem præcipi, qua FIDES continetur. Atque hoc ipſum alio in loco aperté declarat Noëllus, cúm quærit, *Dei Amorem, qualem hic requiri intelligis?* Ac ita deínde reſpondet, *Qui Deo videlicét conveniat, id eſt, ut ſimúl & Dominum eum potentiſſimum, & optimum Patrem, & Servatorem clementiſſimum agnoſcamus. Huic autem Amori*, inquit, *étiam in Bonitatem ejus FIDUCIA adjungenda eſt*, quod étiam á nobis anté dic-

tum est. Itáq; hinc satís, ut opinor, constat, quod volum°, FIDEM nempé *LEGE* præcipi.

Fides Lege præcipitur, à solo Spiritu Sancto datur.

Sed tamen, ut res magís intelligatur, & quod á nobis dictum est, explicetur, distinctio hæc adhibenda est: FIDEM *LEGE*, qua omne, quod bonum est, jubetur, præcipi, quúm sit res optima, nec tamé á Lege nobis, sed á *Spiritu sancto dari, cujus* propterea *fructus vocatur*, ad Galat. 5. Quemadmodúm ergó peccati vetatio Legis est, nó tamen illius vetandi facultas, quæ á Spiritu sancto, nó autém á Legis litera proficiscitur: sic ut in Deum Credamus, hoc est, FIDEM Lex jubet quidém, sed FIDEM, Credendíq; facultatem non tribuit. Hoc .n. ab uno Dei Spiritu proficiscitur, non autém a litera, nudáve præceptione, quantúmvis severa. Ideóq; Fides Legis esse tantúm dici potest, quatenús ab illa præcipitur, sed Spiritus sancti multó magis est, qui eam non prçcipit mo-

dó, sed in nobis étiam efficit, ut anté satis á nobis explicatum est.

Paulus cur Fidem Legi opponat.

HOC autém sí verum sit, & recté intelligatur, facilis est postremæ Quæstionis explicatio. Si FIDES Lege præcipitur, cur eam Paul⁹ Legi ut contrariam, opponit. Primúm hęc non perpetuó opponit: quín aliquandó itá conjungit, ut Legem Fide stabiliri dicat. Intelligebat.n. vim sententiánq; Legis, in Fide cósistere. Sed quoniam Judæi Legis literæ addicti, illius vim & animam prætermittebant, Paulus probat Legem, itá sumptam, & a Fide separatam, non vitæ, sed mortis causam esse: utpoté quæ Christo, qui illius Anima erat, non modó careat, sed ei étiam opponatur. Itáq; hoc facit Paulus, quiá Judæi, Fide prætermissa, in mortuis LEGIS *OPERIBUS* Justitiam quærebant, ac Legem Evangelio, Christóque, qui tamen Legis finis est, ac scopus, oppone-

Legis Anima Christus

ponebant. Ideóque Calvinus ait, *Judæos sibi ex eo, quod illis pro adminiculo datum erat, obstaculum feciſſe, ac* LEGEM *impiè mutilâſſe, quùm, relicta illius Anima, nudum ac mortuum litera Corpus arriperent, índe ſe Juſtitiam ac vitam conſecuturos exiſtimantes.* Rom. 10. 4 Méritó ígitur in eos diſputans Apoſtolus, ait, *Illos nullis Legis* OPERIBUS *Juſtitiam cõſequi poſſe,* ſed viva, veráque tantúm FIDE, quæ Chriſtum, Legis finem, Evangelii prædicatione annunciatum, excipiat, & amplectatur.

HAEC autém ſunt (viri Ornatiſſimi) quæ & anté á nobis, Jonam explicantibus, & tota hac Pauli de Juſtificatione diſputatione pluribus fuerunt tractata: núnc autém, hoc verſu, quo totius diſputationis concluſio continetur, ſummatím, cœtus, ac temporis habita ratione, repetita, ut vos meæ ſententiæ teſtes àc Judices ſitis. Quámvis enim is non ſim

eſſe ſanctè profiteor, qui errare nolim. Cætenúm id, cujus cauſa hûc quamplurimi convenerunt, núnc agendum eſt. Itáq; (vir Ornatiſſime) cũ ſit tibi á prandio in hac ſchola diſputandum, duas tibi proponam Quæſtiones, quarum utriúſque alterutram quam voles partem eliges, ac defendendam ſuſcipies. Prior erit, *Sintne Papiſtica omnia recentia:* Poſterior autém, *Utrúm ſanctiſſimus quiſque peccator ſit, nécne.* Cúm autém *M. N.* defendendum ſuſcepiſſet, *Papiſtica omnia eſſe recentia,* & *Sanctiſſimum quemque eſſe Peccatorem*, hæc, inquã, hora prima hic diſputabuntur. Tũ actis Deo gratiis, diſceſſum eſt.

QUÆSTIONIS, DE FIDE, LEGE-*né Comprehendatur* uberior, ex aliorum Authoritate, *Confirmatio.*

QUONIAM á nonnullis dubitatũeſt Utrúm FIDES LEGE præciperetur, aliquot de ea re Teſtes, ſatis (ni fallor) locupletes producam, quibus major, quám mihi, fides abhibeatur.

PRIMUS erit Moſes, qui ubiq; MOSES ait, *Se Iſraëli proponere vitam ſi LEGEM obſervet*. Legis autém Obſervationem exigens, FIDEM étiam requirit. Qui enim illa, quúm ſpiritualis ſit, verúmq; cultum, & Invocationem præcipiat, ſine Fide obſervari poſſit? Aut, Núm illo, in infidelitate permanétes, volebat LEGEM

GEM Dei obſervare? Deinde nullus, opinor, negârit, *LEGIS* divinæ per Moſen promulgationem, aut fœdus ipſum, cum Iſraële ictum, aut partem illius non minimam fuiſſe. Spiritualis .n. Conjugii contractus, pauló anté illam Legis promulgationem his verbis, ut ajunt, Tremelius, & Junius, deſcriptus fuit, Exod. 19. *Videtis quid fecerim Ægyptiis, ut ſuſtulerim vos, quaſi alis Aquilarum, & adduxerim vos ad me: núnc itáque ſi ſeduló attendatis voci meæ, & ſervabitis fœdus meum: utique eritis mihi peculium præ ommbus aliis populis (Nam mea eſt tota terra) vósque eritis mihi Regnum Sacerdotale, & Gens ſancta.* Hæc ſunt, (inquit Deus Moſen alloquens) *verba quibus alloquêris filios Iſraël.* Hoc autém nō dubium eſt, de ipſo étiam Decalogo eſſe intelligendum, quúm Moſes ipſe id diſertis verbis exprimat, Deut. 4 13. *Deus ipſe declaravit vobis fœdus ſuum,*

ſuum, idque ut obſervaretis præcepit, nempé 10. illa verba, quæ étiam in duabus Lapideis tabulis inſcripſit, inquit. Quín autém illo fœdere Meſſias, omnéſq; ſalutis Promiſſiones cotinerétur, (Alioqui.n. Deus eam Gentem, quam præ cæteris ſe amare dicebat, eſſet ludificatus) á nemine túm dubitatum fuiſſe exiſtimo. *Jam veró Hominibus oblatus Chriſtus & in Chriſto ſalutis promiſſiones*, FIDEM *ab iiſdem requirũt, qua una, niſi oblata gratia excipiatur, fruſtrá offertur, eſtq; inutilis*, ut ait Calvinus. Eſt.n. mutua ſempér inter Promiſſiones, & FIDEM relatio. Itáque ubi fœdus & ſalutis Promiſſiones proponuntur, ibi étiam Fides exigitur: quũ ergó Lex eas proponat, aut Lex FIDEM requirit, aut ne Evangelium quidém eam requírit. Rom. 3.

HINC eſt quod Paulus ait, *Finem Mandati eſſe Charitatem, Charitatem*, inquam, *ex ſyncera* FIDE. Sic PAULUS. 1. Tim. 1.

enim indicat, Deum ſua *LEGE*, néque erga ſe, néque erga Homines Charitatem requirere, niſi ex pura Fide manantem, ideóq; Calvinus, in eum ipſum locum ſcribens, ait, *Hanc* LEGIS *eſſe ſummam, Ut Deum pura* FIDE *colamus.*

CHRYSOSTOMUS

CHRISOSTOMUM citat Thomas, illud Marci. 4. *Terra ultrò fructificat, primó Herbam, deinde Spicam, deinde plenum frumentum in Spica*, ità exponentem, *Primó Hérbã fructificat in* LEGE *Naturæ, poſtmodũ Spicas in Lege Moſis, poſteá plenum frumentum in Evangelio*. Undé ipſe concludit, *Sic igitur* LEX *nova (hoc eſt, Lex Fidei ut loquitur Paulus,* FIDES-*qué ipſa) erat in veteri, ſicut fructus in Spica.*

GREGORIUS

GREGORIUS autém á Lyrano. 1. Ezech. citatur in hæc verba. *Rota erat in rota. i. Novum Teſtamentum in veteri*, ait Gregorius. Deínde ſubjicit Lyranus, *Vetus Teſtamen-*

mentum non ſine mutatione permanſit, dùm Spiritualis Intelligentia lateret: quod, cùm Redemptor venit, ſpiritualitér intelligi fecit.

SED ad Neotericos venio, quibus, ut rem apertiùs explicant, ità étiam plus quàm ferè tribuitur. Calvinus in Catechiſmo. M. *Recita præceptum, vel Caput primum:* P. *Audi Iſrael, Ego ſum Deus tuus qui te eduxi, &c.* M. *Nunc ſenſum verborũ expone.* P. *Initiô, quadam velutî præfatione utitur in totam* LEGEM *Nam cùm Ihovam ſe nominat, jus ſibi vendicat, & autoritatem jubendi. Deinde, quò Legi ſuæ gratiam apud nos conciliet, addit, ſe Deum eſſe noſtrum. Perindè enim valent hæc verba, ac ſi Servatorem noſtrum ſe vocaret. Hoc autem beneficio cùm nos dignatur, par eſt, ut nos illi viciſsim exhibeam° in populum obſequentem.* Et poſt. M. *Quis honor illi eſt proprius, quem alió tranſcribere ſit nefas?* P. *Eum adorare,* CALVINUS.

rare, collocare in ipſo noſtram FIDUCIAM, *invocare ipſum, illi denique, omnia deferre, quæ in illius Majeſtatem competant.*

Quomodó his FIDES nõ includetur? Idem in Moſen, ubi de fine, & uſu Legis diſputat, ait, *Deum Cæremoniis, quæ Legi fuerunt annexæ, veterem populum tanquám rudimentis puerilibus, ad Fidem Evangelii formâſſe, ac nos in illis, tanquám in Speculo, agnoſcere, olim oſtenſum fuiſſe Patribus, quod núnc re ipſa nobis exhibitum eſt.* Et ad Gal. 3. 24. ſic ait, *Et ſanè non tantúm ad terrendas, & humiliandas Conſcientias valebant Cæremoniæ, ſed étiam erigendas in* FIDEM *venturi Redemptoris.*

Jam veró ſi Cæremoniæ FIDEM in futurũ Redemptorem exigebant, quomodó prima Legis Tabula eandem non exigeret, quũm Cæremoniæ ſint illius, ac primi præcipué præcepti, tantúm Appendices, & ad populum

pulum, ad illius obſervationẽ quaſi manu deducendum, inſtitutæ? Nihil ergó exigebant, quod Lex non exigeret, nec aliô quám Lex ipſa populum deducere volebant: ut verum ſit, quod anté audivim°. *Hanc Legis ſummã eſſe, ut Deũ pura Fide colamus.* Idem ad Gal. 3. 23. ait, *Legẽ Judæos á Fide non arcuiſſe, ſed intra Fidei ſepta, quæ túnc tẽporis obſcurior erat, eos continuiſſe.* A Fide autem arcuiſſet, niſi Fidem eos habere præcipiſſet, quũ nominatím prohiberetur ei quicquã addere, ac ne id quidẽ facere, quod ſibi bonum videretur. Ergó ſi FIDES in Meſſiam non jubebatur, in eum credere non tantúm non debebant, ſed étiam prohibebantur, adeó ut eum trucidare potiús, quam vera Fide amplecti, debuerint. Quod tamen ab illis contra Legis mentem factũ eſſe nullus dubitárit. *Si crederitis Moſi,* inquit Chriſtus, *mihi crederetis: quiá ille de me ſcripſit.* Ideó Ioh. 5. 46.

Christus, Paulúsque, quibus objiciebatur, FIDE *LEGEM* aboleri, rem longé alitér sese habere docent, Legísque, á Judæis non intellectæ, Animam, Finémq; esse ostendunt Christum ac FIDEM. Et Deut. 10 12. *Nunc veró Israël, quid Jhova, Deus tuus abs te petit, nisi ut illum timeas, & toto corde ames?* Calvinus hunc locum cum illo Pauli conferens: *Porró finis Mandati est Charitas ex puro corde, & conscientia bona,* FIDE-qué *non simulata,* ait, *Utróque summam Legis proponi, ac eundem utriusq; esse sensum, quia, quamvis Moses AMORIS, Paulus autem* FIDEI, *faciat mentionem: ille tamen AMOR* FIDEM, *& hac* FIDES *AMOREM, complectitur. Quin étiam,* inquit, *hoc prudentér expendere convenit, quúm nihil sit suavius, quám Deum amare, hoc tamen primas partes in ejus cultu tenere.*

1. Tim. 1.

Hinc perspicuum est Amore, ac proin-

proínde Lege Fidem contineri: quũ hic Amor nihil nisí FIDEI ardor, ac velutí vita ſit. Deínde & hoc obſervandum, Omnem Dei Cognitionem, quæ tám veteri, quám Novo Teſtamento requiritur, ad hunc unicum ſcopum referri, Ut *illum toto corde amemus*. Quid.n. Deus abs tè petit, O Iſraël, nisí ut illum toto corde ames? Et Chriſtus, *Hoc primum & ſummum eſt Mandatum, ut Deum tuum toto Corde ames.* Undé étiam Calvinus ait, Dei Amorem primas in Dei cultu tenere. Boni namque Amor perfectior eſt ſimplici ejuſdẽ NOTITIA, quúm hæc ad illum, ut ad ſuum finem, referatur.

PETRUS Viretus in Gallica Inſtitutione, in primum LEGIS Mãdatum ſcribens, ait, *Hinc ígitur ſequitur,* FIDEM, *qui primus eſt veræ Dei notitiæ, quæ hoc Mandato proponitur, fructus, Cognitionem verbi Dei, & erga ipſum Aſſenſum comprehendere:* VIRETUS.

quo approbat, ac pro vero certóque tenet, quicquid in eo nobis revelatur: Omnia nimirum FIDEI capita, omnésque promissiones, ac minas quæ eo continentur. D. Ita est ut dicis. Quare diligentér observandum est, quod jam a nobis in hujus Legis præfatione dictum est. EGO SUM JHOVA DEUS TUUS, QUI TE EDUXI, &c. Deus n. qui ita loquitur, aperté his verbis declarat, se tui, quem alloquitur, curam habere, ac se ipsum esse qui te vocat, qui suum tibi verbum tradit, qui se tibi patefacit, qui suæ præsentiæ ac favoris testimonium præbet, se tibi auxilio futurum, tum in hac tum in altera vita. Sed imprimis notandum est eum dicere, DEUS TUUS, hoc n. verbo declarat se cum eo populo confœderatum esse, quem ità alloquitur, ac cum nullo fœdus sancire, nisi cum eo qui illius verbum audit: nec quenquam pro sua Ecclesia agnoscere, nisi eos qui illud audiunt & recipiunt.

Ex

Ex FIDE *autem, quæ huic verbo adhibetur, posteá manat verus Dei Timor, verus AMOR, vera SPES, vera Humilitas & Patiẽtia, ut amplius posteá visuri sumus.*

Hinc constat hæc verba, *EGO SUM DEUS TUUS* esse fœderis verba, quo de Christo promissiones continẽtur, ad quas excipiendas FIDE sit opus. Hæc autém fœderis esse verba cõfirmat étiã Calvinus in hac secundi Mandati verba scribẽs, *Faciens Misericordiam in mille Generationes*, cum ait, *Altera ex parte offertur Promissio de propaganda in mille Generationes Dei Misericordia, quæ étiam frequentér in Scripturis occurrit, & in solenni Ecclesiæ fœdere inseritur, ERO DEUS TUUS* & Seminis tui post te. Quod respiciens Salomon, scribit, *Filios Justorum post mortem eorum, beatos fore*, non tantũ sanctæ educationis ratione (quæ & ipsa certé momentum non minimũ ha- Pro.20.7.

habet) ſed ob iſtam, in fœdere promiſſam Benedictionem, quod Dei gratia in Familiis piorum æterna reſideat.

BULLINGERUS. BULLINGERUS Decad. 2 Serm. 2. ait, *Primum Decalogi præceptum hiſce verbis pronunciavit ipſe Dominus:* EGO DOMINUS DEUS TUUS QUI TE EDUXI *&c.* Et poſt, *Ex iſtis ſecundo loco colligimus, quid viciſſim á nobis requirat bonus Dominus, & quodnam ſit noſtrum officium: apertam, in relationem habet* TUUS. *Sin. ille vult eſſe Meus, ego viciſſim debeo eſſe ſuus. Ideóq; requiritur hoc Mãdato á nobis, ut non tantũ Deũ verũ, pro vero Deo, ſed pro Deo noſtro, pro Rege, pro Cõditore, pro Servatore, pro Patre agnoſcamus. Huic itáque adhæreamus, in illum Credamus, illum Invocemus ſolũ, omnia ad ipſum bona referentes, omnia bona ab ipſo petentes.* Et poſt, *Equidem myſterium Redẽptionis noſtræ per Chri-*

Christum, Dominum nostrum, comprehensum est manifestissimè in primo Decalogi præcepto. Nam clarum est: Liberationem populi Israelitici ex Ægypto, typum fuisse futuræ liberationis totius orbis terrarum, & omnium Regnorum Mundi, per Christum Dominum qui totum Orbem liberavit ex servitute peccati, & diaboli. Quod si quis dubitet, inspiciat Cæremoniam, sive Sacramentum hujus corporalis liberationis, ipsum, inquam, PASCHÆ: Quis verò nesciat Agnum illum typum prætulisse Christo Liberatori? An obscura est hæc Pauli vox, PASCHA nostrum immolatus est Christus? An non omnes Apostoli cum Johanne Baptista appellárunt Dominum nostrum, Dei Agnum qui tollit peccata Mundi? Præterea clara sunt Esaiæ Prophetæ verba in Capite 52 ubi diserte inter se confert Liberationem Israelis ex Ægypto, & Liberationem totius Orbis ex servitute peccati per Christum. Proinde

1. Cor. 5. 7.

indè continetur Mysterium Christi, & Redemptoris nostri, in primo Decalogi Præcepto.

MARTYR. P. MARTYR in 7. Cap. ad Rom. *Primum Mandatum esse arbitror, quod quasi Proœmii loco cæteris præponitur,* EGO SUM DEUS TUUS. *&c. Nam his verbis sancitur, ut illum pro vero Deo habeamus. Et si quis penitùs rem introspiciat,* inquit, *videbit unà cum hoc Mandato, nobis offerri Evangelium. Deus, n. illo pollicetur, Se velle esse Deum nostrum. Et in eo quòd commemoratur Liberatio ex Ægypto, Promissio de Christo continetur,* inquit. Et 1. Cor. 1. Hanc ipsam quęstionẽ: *Utrũ* FIDES LEGE *cõtineatur,* attingit his verbis. *Videtur étiam nonnullis, quúm* FIDES OPUS *sit* LEGIS, *& ab ea præcipiatur, consequi Nos ex* LEGE *Justificari. Nam quod partis est, a toto quóq; non abhorret. Verúm ad istos dicimus* FIDEM, *qua* OPUS *nostrum*

ſtrum eſt, & actio humanarum facultatum, partem Legis eſſe, & ab ea præcipi: Sed ab illa hac ratione non juſtificamur, ſed per illam Chriſtum apprehendimus, quo Juſtificamur. Et ad Rom. 11. *Quin etiam ſi Fides ipſa, qua Opus noſtrum eſt, conſideratur, ea Juſtificari non poſſumus: quúm Opus ſit & mancum & imperfectum, lõgé deterius quã Lex requirat.*

FIDES, reſpectu, Opus mancum eſt.

PHILIP. Melanchthon in loc. Com. *Primum Mandatum præcipit de eo OPERE, quod ſummum & præcipuum eſt: viz. De vera Notitia Dei: De vera & perfecta Obedientia erga Deum, perfecto Timore, Fiducia, & Dilectione Dei.* Et poſt. *Cultus autém, de quibus hîc præcipitur ſunt, Agnitio Dei, Credere verbo Dei, verus Timor, vera Fides, ſeú Fiducia, & vera Dilectio.* Et poſt. *Requirit Fiduciam & Dilectionem cúm ait, EGO SUM DEUS TUUS Omnipotens, te reſpiciens, curans, defendens, ſal-*

MELAN.

ſalvans, &c. Et poſt. *Commodũ eſt antém, docendi gratia, his duobus verbis complecti omnia* OPERA *primi Præcepti: viz. appellatione* TIMORIS, & FIDEI. *Nam etſi Fidem, ſeú Fiduciam Miſericordiæ neceſſariò comitatur Dilectio, tamen Dilectionis verbum obſcurius eſt, quám Timoris, aut Fidei Appellatio.*

Hic obſervandum eſt, Melanæthonẽ pro Dilectionis verbo, quod Deus in promulganda ſua Lege uſurpavit, Timoris, ac Fidei uti maluiſſe, quód hæc illo apertiora eſſe judicaret. Sed tamen Amore, qui Lege præcipitur, Timorem, ac Fidem cõtinere hínc aperté conſtat. Et poſt, *Recenſui*, inquit, *OPERA primi Præcepti, Agnitionem Dei, Credere verbo Dei, Timorem, Fidem, ſeu Fiduciam, Dilectionem Dei.* Et poſt: Quomodó, & á quibus in primum Præceptum peccetur, explicans, ait. *Quartus gradus eſt Judæorum, Philoſopho-*

ſophorum, Hæreticorum, & Mahometiſtarum, qui omnes ſibi fingunt Deos ſuos, nec volunt agnoſcere hunc eſſe Deum, qui ſe in verbo ſuo per Filium Chriſtum patefecit, quúm ſic tantúm velit agnoſci & invocari. Ergó violant primum Præceptum Manichei, qui &c. ità Samoſateni, qui &c. item Arriani, qui &c. Hinc conſtare exiſtimo ſi Judęi, Philoſophi, Hęretici, &c in hoc Mandatum peccant, quód Chriſtum non agnoſcant, veráque FIDE amplectantur, hoc Mandato præceptum fuiſſe, ut Judęi, reliquíq; in eum crederent, quippé Meſſiam, ac Redemptorẽ, ac maximé Judæi, quúm vetarentur Legi ſuæ quicquã addere, né id quidem, quod ſibi Bonum videretur.

CUM Melanchone Noëllum conſentire exiſtimo, cúm ait: *Deus in hac Lege omnia ad Voluntatem, & arbitrium ſuum revocavit: ut nulla ipſi neq; erga ſe, neq; erga homines, pietas pro-* NOELLUS.

probari possit, nisi ea sola, quæ ad hujus regulæ amussim per omnia quadret. Si n. Deo nulla pietas placere potest, quæ ad Legis amussim nó quadret, quomodó FIDES, quæ ei maximé placet, Lege non præciperetur? Ideó Noëllus ipse Amoré, qui Lege præcipitur, explicans, Fidei Naturam aperté describit, hoc modo: *Amor*, inquit, *hîc requiritur, qui Deo conveniat, nempé, quo illum, ut Dominum potentissimum, & optimum Patrem, ac Servatorem clementissimum agnoscamus. Huic autém Amori*, inquit, *étiam in Bonitatem ejus Fiducia adjungenda est.* Hjc étiam notãdum, Noëllum ita Amorem describere, ut Fidem definiat: quid .n. est Credere, nisí Deum & Dominum potentissimum, & optimum Patrem ac Servatorem clementissimum, cum vera in illius Bonitatem FIDUCIA, Agnoscere.

BORRHAUS. BORRHAUS in Exod. 20. *Legum*

gum, inquit, *quas Decalogus continet duplex est genus: Unum Præcepta, quæ ad Dei cultum, Alterum, quæ ad Hominum inter ipsos tuendam Amicitiam pertinent, complectitur. Primi autem generis Mandata sunt 4. quorũ duo priora requirunt integram in Deum Fidem, & Amorem: Tertium Fidei illius, & Amoris testificationem.* Et Deut. 5. in hæc verba. *EGO DOMINUS DEUS TUUS, utroque, inquit, jure, & fœderis, & liberationis ex Ægypto.* Hæc igitur verba si Borrhao creditur, verba sunt fœderis, cum Abrahamo initi. Eo autẽ fœdere,, ut omnes docent, & Christus & Fides continebatur. Et post in verbum TUUS, *tibi fœdere, non cæteris Gentibus, junctus, inquit. In hac autem cognitione, tanquam in Cardine,* FIDES *ipsa vertitur. Nam agnoscere Jhovam Deum tuum esse, qui tibi rebus adversis opem ferat, & res tuas secundas ornet, augeat, atque conser-*

vet, hoc ipsum Fidei Opus est, inquit, quod hac lege præcipitur, & cõtrarium prohibetur.

HEMINGIUS. SEQUITUR Hemingius, qui in Syntag. Genevæ impresso, ait, *Cùm dicitur Deus tuus, significatur Bonitas Dei, φιλανθρωπία erga homines, & requiritur Fides in Hominib°, qua hãc bonitatẽ sibi applicent: quod fieri non potest sine Mediatoris Notitia. Hanc vocem cùm audiret populus Israël, non omnes fundamentum Bonitatis Dei erga Homines cogitaverunt: nec veram Fidem adhibuerunt huic verbo: qui pii inter eos fuerunt, ut Moses, Caleb, & quidam alii ut serió cogitaverunt suam indignitatem, ita ardenti* FIDE *in promissum mulieris semen recubuerũt.* Et post, *Moses ergo, & qui cum illo erant pii, hac sola Fide, & Justificati sũt, & placuerunt Deo per Obedientiam lègis, etsí eam perfectè non præstiterint. Cæteri autẽ damnatoria legis sententia oppressi, in suis peccatis perierunt. Atq;*

ità

ita in hoc legis Proœmio fuit Concio EVANGELII, inquit: *Nam Deus se nemini communicat, nisi per prædicationem, qua offertur favor, & gratia Dei in Jesu Christo omnibus credentibus. Et, tamétsi Mediatoris mentio non sit expressé, tamen includitur in Promissionis verbo* DEUS TUUS, *ex eóque intelligitur, ut ab Effectu Causa. Nám cùm certissimum sit, Neminem placere Deo nisi per Christum, & in Christo, consequitur, hanc Bonitatis, & Misericordiæ Promissionem fundari in illo Dicto,* SEMEN CONTERET CAPUT SERPENTIS.

Idem seq. Cap. *Et quia Dilectionis vocabulo omnis Notitia, Dilectionem necessarió antecedens, omnis Affectus Dilectioni necessarió conjunctus, atque omnis Actio, Dilectionem necessarió consequens, intelligitur: Lex in Mose sapiẽtissmé ista tria cõjũgit, cùm ait, Diliges Dominum Deum*

tuum ex toto corde tuo, ex tota Anima tua, & ex tota virtute tua: ut in Corde, i. Mente sit vera lux seu Notitia de Deo (quæ Dilectionem Dei necessariò antecedit) in ANIMA *puriſſimi Affectus,* FIDES, *Timor Dei, Spes, (qui cum Dilectione Dei, quasi quodam Naturæ pacto, connexi ſunt) in Virtute, conatus ſufficiens ad agendum ea quæ Deus imperat: qui ſane conatus neceſſariò Dilectionem Dei comitatur. In hac n. re, inquit, conſiſtit Rectitudo Hominis, ut Corpus Animæ, Anima Menti, & Mens Deo pareat, & obſequatur, atque ita ei* FIDE *conjungatur, atque* AMORE *veluti unum cum eo fiat.*

Et ſeq. adhûc Cap. *Porrò Fides, quam requirit per ſe primum mandatum, verſatur circa Promiſſionem, additam primo Præcepto:* viz. FACIAM MISERICORDIAM IN MILLIA EIS, QUI DILIGUNT ME, *Et, tametsi Homo nõ poteſt*

potest hanc Obedientiam præstare, tamen Deus justissimé illam requirit ut debitum, ad quod solvendum obligatus est omnis Homo, in primo Parente Adam. Quare autém hoc debitum requirat Deus, exponit Christus Mat. 18 *ubi proponit parabolā de Homine, Rege, & Servo qui debebat decem millia talenta. Sicut ille Servus intellecta debiti magnitudine, confugit ad misericordiam Regis sui, & impetravit totius debiti condonationem: Ita Lex Dei requirit perfectam Obedientiam, ut Homo in se descendens, & Agnoscens suū peccatum, justámq; Legis sententiam, ad Promissionem, quæ Decalogi præcepta præcedit, redeat, viz,* EGO SUM DOMINUS DEUS TUUS. *Quæ promissio est pars fœderis mihi cum Abrahamo, & semine ejus, de gratuita Justificatione: & pēdet ex prima promissione,* SEMEN MULIERIS CONTERET CAPUT SERPENTIS. Ut

 autém

autém FIDE hujus Promiſſionis Juſtificatus eſt Abrahã: ita omnis qui credit Juſtificatur, imputata ſibi per fecta Legis Juſtitia, quam Chriſtus præſtitit, & Homini Credenti imputat.

CALVINUS. IDEM feré Calvinus ad initium Pſal. 119. *Beati Integri in via, Poſſet quæri, inquit, An a ſpe fœlicitatis excludat Propheta, quicúnque non perfectè Deum colunt. Atquî hoc modo ſoli Angeli fœlices eſſent, quia nuſquám in terra reperietur perfecta Legis Obſervatio. Solutio facilis eſt,* inquit, *Ubi integritas exigitur a Filiis Dei, non tolli gratuitam veniam, qua ſolà conſiſtit eorum ſalus.*

RHEGIUS. URBANUS Rhegius in Catechiſ. FRIDER. *Enumera núnc ut promiſiſti, Bona Opera primi Præcepti.* ORTHO. *Moſes, & Prophetæ, qui ſunt Interpretes Legis, potiſſimùm hæc quatuor Opera in hoc præcepto exigunt.* FIDEM, *Dilectionem,*

ctionem, Timorem, Spem. FIDEM, *inquam, ut Credamus in Deum Patrem, in Filium Incarnatum, & in Spiritum Sanctum, Deum unum sed tres Personas. Et hic observa, Nullam esse veram* FIDEM *in Deum, nisi Fidem in Jesum Christum. Nam Pater proposuit Jesum Christū nobis, ut Thronum Gratiæ. Némo, inquit Christus, venit ad Patrem nisi per me.* Ioan. 14. 6 *Ipse est mediator unicus inter Deum & Hominem, noster Advocatus apud Patrem in Cœlis, & unica Propitiatio pro peccatis nostris, imó totius mundi, noster unicus Redemptor. Quaré qui sine Christo, Mediatore nostro, volunt Deum accedere, ut Judæi, Turcæ, & Ethnici, repelluntur á Deo, nec invenient Patrem, sed Judicem inexorabilē. Per solum Christum Jesum habemus aditum cum Fiducia ad Patrem. Semper igitur eo Mediatore utendū est, quotiés cum Deo agendum. Deus propter peccata nostra jure irasceretur in*

aternum, sed Christus sua morte nos reconciliavit Patri. Ideò primũ Præceptum exigit FIDEM *in Deũ, sed per Christum, qua una verus invenitur, & retinetur. Judæi dicebant, Hic est Deus verus noster, qui est Deus Abraham, Isaac, & Jacob, qui eduxit nos ex Ægypto. Christiani antẽ dicunt, Hic est verus Deus noster, qui nobis Christum Jesum Filium suum misit, ut nos á Potestate Diaboli redimeret, &c.*

KNEUSTUB. KNEUSTUB in Prælect. prima in 20. Cap. Exodi in hæc verba. *Ego* SUM JHOVA DEUS TUUS. *Hinc discimus, inquit, Primum Præceptum Promissiones Evangelii in se continere, (ut rectè observatum est á P. Martyre) contra damnandam quorundam Opinionem, qui asserunt, Patres sub veteri Testamento nullas Promissiones habuisse, nisi Terræ Chanaanæa, & rerum temporalium. Cernimus verò Dominum promisisse se illorũ fore Deũ: quod, ut accepimus, promis-*

Ad Rom. 7

siones

ſiones in ſe continet & hujus vitæ, & futuræ. Et, ut ex Geneſi apparet, Omnia Beneficia, quæ Abrahamus accepit, his verbis includebãtur, quæ verba ſunt fœderis, Ero tibi in Deum, & Semini tuo poſt te. Et poſt fol. 21. *Et ſanè hæc perſuaſio, quòd Deus noſter ſit, & ità amantèr in nos affectus, omnis veræ Obedientiæ mater eſt, & fons, undè dimanat omnis vera Dei adoratio, & cultus. Hæc nota eſt, qua Opera veri Chriſtiani diſtincta ſunt ab Actionibus Hominis Infidelis, ac Ethnici. &c.* Et poſt. *Hæc Fides eſt, quæ diſcrimen fecit inter ſacrificium Abelis, & Caini, ut teſtatur Scriptura: hæc ipſa Fides eſt, qua diſcrimen facit inter Continentiam, quam in Infidelibus, & Paganis fuiſſe legimus, & illam quæ Chriſtianorũ propria eſt: inter Miſericordiã, & Eleemoſynas, quæ ab hominib° merè policitis ſæpè proveniũt, & illã benignam Beneficentiam, quæ illorum eſt, qui Dominum in ſpiritu & veri-*

tate

tate colunt. Hæc ipsa de ejus Bonitate Persuasio est, quæ hunc Justificat, cum alter ille hac destitutus, ei infestus, & exosus sit. Hæc ipsa Persuasio est, (Deum ita Bonitate divitem esse, ut nos acceptos habeat) quæ nos ad verum ejus cultum transmittit. Et post. *Docemur ergó in hoc Præcepto (quod nos astringit, ut Dominum pro Deo nostro habeamus) hanc illum in se curam suscepisse, ut nos donis, & beneficiis, & huic vitæ, & futuræ necessariis, locupletet.*

Legis acceptio duplex.

Quámvis ex iis perspicuũ sit quod volumus, Nempé Fidem LEGE præcipi, quoniam tamen Fidem Legi ubíque fermé opponit Paulus, quidam hoc alitér sese habere existimârunt, non satis animadvertentes, Paulum cum Judæis, verum Legis sensum ignorantibus, ex eorum tamen sensu disputare: ac de Lege loqui, non ex ipsius Mente aut Legis-Latoris Voluntate, sed ut ab Evangelio

lio, Christo, Fidéq; separata ab illis sumebatur. Quam duplicem Legis Acceptionem malo alienis, né veritati quicquam derogetur, quám meis verbis explicare.

CALVINUS ígitur illũ 19. Psal. Locum explicans: *Lex Domini perfecta iustaurans Animam: Testimonium Jhovæ fidele erudiens in Sapientia parvulos: Statuta Jhovæ recta, exhilerantia Cor: Præceptum Domini purum illuminans oculos.* Hanc Quæstionem movet, ac dissolvit hoc modo. *Verúm hinc emergit non parva Quæstio, quia hæc Legis encomia, quæ referuntur a Davide, Paulus funditús evertit. Quomodó n. hæc inter se cõvenient, quód Lex recreet Animas, sit tamen mortua, & exitialis litera: quód Corda exhilaret, spiritum tamen servitutis afferens, incutiat Timorem: quód illuminet Oculos, velo tamen oppositó, lucem intús supprimat. Sed memoria tenendum est*, inquit, *quod primò admo-* CALVINUS.

admonui, Davidem non de nudis Præceptis differere, sed complecti totum fœdus, quo sibi Deus Abrahæ filios adoptaverat. Et pauló post. *Paulus veró cui negotiũ erat cum perversis Legis Interpretibus, qui eam a gratia, & Spiritu Christi separabant, nullum Mosis ministerium attingit.* Et post. *Hæc diversa Legis Acceptio facilé speciem dissidii in Davidis, & Pauli verbis conciliat: quia Pauli concilium est, ostendere quid Lex seorsum (quatenús sine Promissione gratia severé, quod debemus Deo, exigit) præstare nobis queat. David totam Legis doctrinam cõmendat, cui Evangeliũ respondet, ideóque Christum sub ea includit.*

Hæc sunt Calvini verba, ubi observandum est, eum perversos Legis Interpretes vocare, qui LEGEM ab Evangelio separant, quod non hoc tantúm loco facit, sed passim ubi hoc Argumentum tractat. Nam ad Ró. 3.31. ait. *Eos præpost era Legis intelligen-*

ligentia esse imbutos, qui nihil aliud in ea quærunt, quàm Operum Justitiam, prætermissis Promissionibus. Et Cap. 10.4. ait. *Judæos turpiter Legẽ Dei mutilàsse, qui rejecta illius Anima, mortuum Literæ Corpus arripuerint.* Et in Instit. Lib. 2. 7. 2. de Paulo loquens, ait, *Sed quia disceptatio illi fuit cum perversis Doctoribus, qui Legis Operibus Justitiam nos mereri fingebant, ut eorum errorem refutaret, coactus est interdum nudam Legẽ præciſé accipere, quæ tamen gratuita adoptionis fœdere alioquì vestita est.* Et 1. Tim. 5. ait. *Quoniam nebulones illi, quibúscum negotium habebat Timotheus, legis prætextu se jactabant, ideó anticipat Paulus, ac docet* LEGEM *non modó illis nihil suffragari, sed potiús esse adversum, cum Evangelio autém, quod ipse docuerat, optimè convenire.* Idem in Mosen, ubí de fine, & usu Legis disputat, ait. *Porró quia videtur Paulus* LEGEM *abrogare, ac*

si hodiè

ſi hodié ad Fideles non pertineat, quouſque id pateat, videndum eſt. Ac primó quidém colligere promptum eſt, non ſimpliciter eum de Lege diſputare, ſed eam proponere ſuis qualitatibus veſtitam, quatenus Evangelio opponitur. Nam quúm certamen haberet cum malis ejus interpretibus, non potuit effugere, quin tanquam res inter ſe contrarias committeret, LEGEM, & EVANGELIUM: *non quód inter ſe pugnent, ſi quis dextré utriúſq; doctrinam ad proprium finem accommodet, ſed quia ex præpoſtera mixtione, quam ingerebant Pſeudoapoſtoli, oriebatur talis conflictus. Volebant Homines Juſtificari Operibus Legis, quod ſi fuiſſet receptum, abolebatur* FIDEI *Juſtitia, atque hoc modo Evangelium concidebat. Urgebant prætereá Jugum veteri populo impoſitum, acſi nulla Chriſti ſanguine parta fuiſſet libertas. In hac diſceptatione, neceſſe habuit Paulus tantum ſumere, quod Moſi peculi-*

euliare est, & à Christo separatum. Quámvis n. inter se optimè consentiãt in summa Doctrina Christus, & Moses, ubi tamen alter cum altero confertur, seorsúm distinguere convenit, quid sit cuiq; proprium.

Itáq; FIDES a Lege, nisi eam perversé, ut Judæi, interpretari velimus, nequaquã est separanda. Quod Calvinus Mat. 5. 17. monet his verbis. *Ideó discamus, sacrum hunc Legis, & EVANGELII nexum, inviolabilem servare, quem multi perperám dissolvunt. Néque n hoc ad stabiliendam Evangelii* FIDEM *parúm valet, dum audimus nihil aliud esse, quám* LEGIS *complementum, ut mutua concordia Deum communem Authorem referant.* Erat ergó Novum in Vetere Testamentũ, Evangeliíq; in Lege FIDES, sicut fructus in spica, modó Lex, ut spiritualis est, spiritualitér sumatur, & intelligatur. Quod idem Calvinus ad Galatas 3 23. scri-

23. ſcribens confirmat, illud Apoſtoli dictum exponens. *Antequám veniret* FIDES, *ſub Lege cuſtodiebamur, ſub* FIDEM *concluſi, quæ erat revelanda. Hic*, inquit, *ſignificat Paulus revelationem plenam eorum quæ tunc latebant ſub obſcuritate umbrarum legis.* Et poſt. *Sed quiá tunc Fidei claritas non itá palam extabat, ideó tempus Fidei appellat tempus Noviteſtamẽti, comparativé, non ſimpliciter. Atque hunc ſibi fuiſſe ſenſum, mox demonſtrat, cúm dicit, Concluſos fuiſſe ſub Fidem, quæ erat revelanda. Teſtatur in his verbis, Participes fuiſſe ejuſdem Fidei, qui ſub Legis cuſtodia erant. Neq; n. Lex á Fide eos arcebat, ſed ne vagarentur extra ſepta* FIDEI, *retinebat ipſos.* Et poſt. FIDES *autém nondum erat revelata: non quia carerent Patres omni luce ſed quia minús haberent lucis, quã nos. Nam quúm illíc Cæremoniæ Chriſtum adumbrarent, tanquám abſentem,*

nobis

nobis hodié velutí corã repraſentatur: ſic proſpeculo, quod illi habebant, nos ſubſtantiam hodié habemus. Qualiſcúnque ergó fuerit obſcuritas in Lege, non tamen ignorarunt Patres quæ via eſſet ambulandum. Nàm etsí ſub Auroram non tantus eſt fulgor, quantus circa Meridiem, non tamen expectant Viatores plenum ſolis exortum, quia illis ſufficit tenere iter: Itá illis ſuæ lucis portio inſtar Auroræ fuit, quæ illos ab omni erroris periculo tutos, ad æternam beatitudinem ducere potuit. Erat ergó Chriſtus Fidéſq; ipſa, Legis Anima, ſed Judæi, quæ erant conjunctiſſima, imperité, & impié diſjungebant.

QUOD étiam Beza docet ad Rom. 2. 27. his verbis. *Nam quia Lex, non modó Cæremonialis, ſed étiam Moralis i. Decalogus, ad Chriſtum ducebat, qui nobis omni modo factus eſt Juſtitia, hunc anté Legis uſum Judæi partim ignorabant, partim aſpernabantur:* BEZA.

tur: hinc factum est, ut Paulus de Lege loquens, modó ex Judæorum Hypothesi, qui eam a Christo separatam, seorsim, ac per se consyderatam, sibi applicabant, modó ex vero ipsius usu, & Legis-latoris voluntate, vocabula excogitârit huic distinctioni accommodata. Itaque Legem nudam, & á Christo separatam γράμμα vocare solet, tanquám mortuum quoddam scriptum, quod ad salutem nihil prosit, carnis nostra vitio &c. Huic autem Litera idem Paulus opponit Spiritum, id est, sancti Spiritus efficaciam, quæ tùm Christi Justitiam, tùm étiam LEGEM ipsam in cordibus nostris insculpit: qua ratione dicitur spiritus vivificare, quos Lex occîdit, & Evangelicum ministerium, ministerio Mosis, ex illa Hypothesi oppositum, dicitur non esse litera, sed Spiritus. Interdum étiam hæc litera, & Spiritus Antithesis peculiaritér spectatur in Cæremoniis: ac

tùm

τὸν γράμμα vocat Paulus externum signum ab ipsius signi fine, sive veritate, sejunctum, quam vocat Spiritum: quoniám externa Cæremonia est per se mortua, & inutilis, nisi conjũgatur veritas, quasi illius vita. Itaque Circumcisio per literam, seú Carnis, est pelliculæ abcisio: Circumcisio autém per Spiritum, seú Cordis, est Spiritualis finis illius Cæremoniæ. Vera nempé Pietas, Justitia, cæteráq; virtutes, quibus veré demúm populus Dei á profanis Gentibus discernitur.

Ex his Bezæ verbis constat LEGEM spiritualitér, & ex Legis-latoris mente sumptam, FIDEM, Pietatem, omnésque dénique virtutes, quibus pii ab impiis discernuntur, comprehendisse. Ex perverso autém Judęorũ sensu nõ itém. Quod ex alio Bezæ loco magis étiam patet, cum in Psal. 19. (quo David *Legem Dei perfectam*, *Animam*

instaurantem, Oculos illuminantem, & Cor exhilerantem commendat) Argumentum scribens, ait, *Docet nos hic Psalmus universa vera Theologia summã, cujus finis est, tũm Dei ipsius, tũ divini cultus, eam habere Notitiam, qua fiamus æterna vitæ participes. Ait igitur Psalmista*, inquit, *Homines Dei gloriam & majestatem 1. (interprete Paulo 1. Rom. 10.) æternam ipsius potentiam, ac divinitam ex ipso cœlorum conspectu, & dierum ac noctium vicibus, ac præsertim Solis, aureo splẽdore terrarum orbẽ cursu inenarrabili collustrantis, doceri, ut nemo possit ignorantiam illius prætexere. Quem locum Apostolus, tũm eo, quem citavimus, loco, tũm Act. 13: 17, pertractat. Sed addit, Homines alia longé perfectiore patefactione indigere, qua & eadẽ illa, & Dei præterea Volũtat, perspicué cõmonstret: Conscientiã denique nostram, Lethali peccatorum vulnere*

san-

ſanciam, tranquillet, ſicut docet Apoſtolus copioſè 1. Cor. 1. 21. & deinceps. Hac autém non aliundé doceri nos affirmat, quám doctrina, nobis cœlitús ab ipſo tradita, veram illam ſapientiam non modó verbis, ſed étiam re ipſa noſtris Animis infigente, ut aterna letitia nos exhilaret. Hac autém vis, quúm tota ſit Evangelii, liquet Davidem præcipué de hac divini verbi ſcripti parte diſſerere, & de gratuita peccatorum remiſſione concionari, qua túm erat Legalibus Cæremoniis adumbrata: núnc vero nobis eſt, túm ab ipſo Chriſto, túm Apoſtolicis ſcriptis, pleniſſimé, ac manifeſtiſſimé explicata.

Ex his Bezæ verbis patet, quid de Lege ſit ſentiendum, ſi ſuo, ac vero ſenſu ſumatur. Nam ut David illo Pſalmo, & toto penè 119: Sic étiam Beza LEGI tribuit, quod videtur eſſe Evangelii proprium. Neque tamen hoc Evangelium cũ

LEGE confundit, ſed ſacrum illum, & inviolabilẽ nexum, de quo anté Calvinus, explicat: *Nempé Chriſtum* FIDEM *-qué eſſe Legis Animam, ac Spiritum, undé ſit vita, ad quam nos* LEX *per Mediatorem vocat, qui eſt* LEGIS *ſcopus, ut ad eum lex Pædagogus.* Itaque hoc neutrum cum altero confundit, ſed utrúmq; cum altero conjungit, ut perpetuó faciendum eſt, niſi Deum ſibi ipſi contrarium facere velimus, quod Calvinus étiam obſervavit in eum Apoſtoli locum ubí dicitur, *Lex non eſt ex Fide.* Subjicit enim Calvinus, *Certum eſt, Legem cum* FIDE *non pugnare, alioquí Deus ſibi eſſet diſſimilis. Sed illúc ſempér redeundum eſt,* inquit, *Paulum loqui prout ferebat præſentis cauſæ circumſtantia. Ergó,* inquit, *repugnantia Legis, ac* FIDEI *eſt in cauſa Juſtificationis: facilíus enim aquam igni copulabis, quám hæc duo*

duo concilies: Homines FIDE *&* LEGE *posse esse Justos.* Nam certé, qui LEGEM, sic nudé sumptam, & Christo oppositam, Justitiam conferre dicit, plané Christum, Evangeliumq; tollit. Sic ergó LEX non est ex FIDE, & tamen LEX est ex FIDE, quia finis Mandati est Charitas, Charitas, inquam, ex Fide non ficta.

Quod si quis velit apertiús, Legis, & EVANGELII discrimẽ, audiat Borrhaum Job. 1. in hæc verba, *Et Rectus*, illud ità explicantẽ. *Rectum*, inquit, *Curvo, & Obliquo opponitur: at in proposito Rectum est, quod respondet ad Normam legis divinæ, de Amore Dei, & Proximi. Rectus ergó homo est, & Integer, qui* FIDE *per Amorem agente, ad* LEGEM *de Amore Dei, & Proximi, se conformare studet.* BORRHAUS.

Quapropter in Recto statu duo

perpenduntur, Doctrina, & vita Doctrinæ consentanea. Doctrina bifariám dividitur, in LEGEM, & EVANGELIUM. *LEX, doctrina cœlestis est, quæ, in quo sit positus Rectus Animi status, ostendit, & eum præcipit: Rectum quippé statum esse, in quo Deus præ omnibus amatur, & alter ut nos ipsi.* EVANGELIUM *verò, Doctrina est sacrosancta, ostendens, & patefaciens viam, qua Rectus status comparetur h.e. undé ille Spiritus Amoris accipiatur, quo afflati incipiamus Deum supra omnia, & alterum ut nos ipsos, Amare.* Et alio loco. *Quod non præstat* LEX *Mosaica i. vis Naturæ, prælucente Lege naturali, præstat Spiritus sacer Christi, prælucente Luce* FIDEI. Et post. *Qui vivificãs Lex Sp. sanctus præstat, quod Lex Mosaica requirit, & nõ præstat. Hæc summa est, inquit, Mosis, & Christi: saxearũ Tabularũ, & carnearum: Litera, & Spiritus: Legis, &*

Exod. 20.

Evange-

Evangelii: Veteris, & Novi fœderis, Lex igitur præcipit omne quod bonum, juſtum, & æquum eſt: eſt autē imprimis juſtum, & æquum, ut Deo dicenti, *Ego ſum Deus tuus, qui te ex Ægypto liberavi*, omnem FIDEM adhibeamus. Quod ſi Lex non requirat, non tantúm manca eſt, & imperfecta, ſed plané inutilis, ac vana, quúm id non requirat, ſine quo nulla eſſe poteſt in hominibus Pietas, ſed mera tantúm hypocriſis, étiamſi perfectē obſervaretur. Cæterúm quod Lex præcipit, Nempé ut Credamus, hoc ut poſſimus, Evangeliū, hoc eſt, Chriſti Spiritº, præſtat. Alioquí.n. Evangelium non erit Evangelium, hoc eſt, bonum nuncium. Utrúmq; ígitur in ſuo genere perfectū eſt, Lex omne, quod Deo gratū eſt præcipiens, ac proindé Fidem, quæ Deo gratiſſima res eſt: & Evangelium omnia gratis conferens, ac imprimis Fidem, quæ Dei donum eſt:

ac per

ac per Fidem, Christum, reliquáque in Christo bona. Itaque Christus Lege Patribus obscuriús quidém, sed tamen non minús quám nobis fuit oblatus: erátque Novum Testamentum in Vetere, Christus in Mose, Evangelium ac Fides in Lege, sicút fructus in spica, ut anté audivimus.

DICTI ILLIUS, NINI *vitarum Fidem fuisse Implicitam*, Explicatio.

HINC AUTEM étiam patet, quod dixim⁹. Ninivitarum FIDEM implicatiorẽ fuisse, quám nostram. Quúm enim Christus, Lege, ipsóque Decalogo, hísque præcipuis verbis: *Ego sum Deus tuus, qui te ex Ægypto liberavi*, contineatur ac proponatur (ipse enim erat, qui tum loquebatur, hánc que Legem Israẽli promulgabat, quam étiam in Nube, & Columna per deserta rexit) sed tamen implicité, & obscuré, prout túm ferebant tempora, nondum plené perpatefacto salutis nostræ mysterio: mirum videri non debet, quod diximus, NINIVITAS, qui credidisse,

Vide Prælect. in jonã pag. 211. & 224. & 257.

disse ac resipuisse perhibentur, ipso teste Christo, implicité Christũ cognovisse: quúm de ipso Israële, si nobiscum conferatur, id dici veré possit, quúm & Christ⁹, & omnia nostra salutis mysteria essent tũ Ritibus, ac Sacrificiis involuta, & obscuré repræsentata.

Imó veró Apostolorum, cúm jam cum Christo tres annos vixissent, illiúsque sacras Conciones audivissent, & Miracula vidissent, ac fuissent ipsi Evangelii præcones, Miraculáque edidissent, FIDEM fuisse non parũ implicitam, declarant Evangelistæ. Nam cúm Christus illis diserté dixisset, *Ecce ascendimus Hierosolymam, & perficientur Filio Hominis omnia quæ scripta sunt per Prophetas. Tradetur n. Principibus Sacerdotum, ac Scribis, & condemnabunt eum morte, tradéntque eum Gentibus, ut illudant, & flagellent, & crucifigant, sed tertia die resurget:* nec semél hoc illis

Mæ.20.17. & 18.34

lis futurum prædixisset, sed frequentér, ut ex sacra constat historia. Lucas tamen ait, *Eos nihil horum intellexisse, &, hæc fuisse illis abscondita.* Quo in loco Calvinus ait. *Eos fuisse in tám crassa ignorantia detentos, quód cúm sibi fœlicem, ac latum progressum finxissent, (qua fuit túm communis de Messia opinio) pro summo absurdo ducerent illum ignominioſé crucifigi.* Nunquam hoc futurum credidissent, & cogitatu absurdum ducebant. Ideóq; Petrus Jesum, Hierosolymam ad mortem proficiscẽtem, revocare conatus est, fuítque propterea a Christo Satan vocatus, ac pauló post eum, cúm comprehenderetur, exerto gladio liberare conatus est. Credebant ergó Christum esse Messiam, sed eum sua morte Genus humanum redempturum non intelligebant, nec quale futurum esset illius Regnum adhûc nôrant. Idémq; de illius resurrectione sen-

ne ſentiendum. Eam.n. ne tum, quidem, cúm reſurrexiſſet, illiſq; ab idoneis teſtibus, quibus jam apparuerat, annunciaretur, crediderunt, quia, ut inquit Joannes, *Nondum noverant Scripturam.* viz. *Oportere eum a Mortuis reſurgere.* Itaque néque Chriſti mortem, nec ejus reſurrectionem intelligebant, imó quamvís iis fuiſſet utrúmq; á Chriſto ipſo prę dictum, neutram túm credebant, licét eſſent FIDE prædíti, ſed implicita. Ideó Calvinus in Inſtit. ait: *In illis veram quidem fuiſſe Fidem, ſed implicitam, quia reverentér Chriſtum pro unico Doctore amplexi erant*, inquit. *Deínde ab ipſo edocti, ſtatuebant ſibi eſſe Anchoram ſalutis. Denique credebant é Cœlo veniſſe, ut per gratiam Patris Diſcipulos illúc colligeret.*

Ioan. 20. 9

3. 2. 4.

Hanc implicitam Apoſtolorum Fidem declarat étiam Beza, in libello de veris Eccleſiæ Notis, his verbis, *Quis dubitat, quín ſi uſpiã fuerit*

rit unquàm Ecclesia vera, ac penè unica, & tota Catholica, ea fuerit ipsius Christi familia, cum suis illis duodecim Discipulis étiam secundum carnem versantis? Quis itèm ignorat, Resurrectionis Caput, cujus basis est ipsius Christi Resurrectio, tanti esse momenti, ut jure pronuntiet Apostolus, Illo sublato, totum Evangelii fructum aboleri? Atquì ille ipse cætus vix credere potuit, Christum resurrexisse: &, né suis quidém condiscipulis FIDEM habuit Thomas: imò, ne suis quidém oculis videntur fuisse credituri discipuli, nisi dixisset Dominus, Spiritus carnem, & ossa non habet. Et pauló post: pag. 45. Probabile certé non est, ullos tùm vixisse homines, cùm Christus resurgeret, melius, aut perfectiùs in vera Fide institutos, quàm duodecim illos discipulos: & tamen hunc totum cætum videmus de Christi resurrectione, sicùt modò dixi, ad tempus usque adeo dubitasse, ut propterea scribat

bat Lucas, Christum 40. dies post resurrectionem cum illis mansisse, ut plenam eis resurrectionis suæ FIDEM *faceret.*

Si igitur Apostolis hoc contigit, cúm jám tres annos cum Christo vixissent, & qui Evangelii Præcones ipsi erant, sæpéque á Christo nominatím admoniti, *Oportere Filium hominis crucifigi*, ut de eo scriptum erat, ac tertio póst die resurgere, ut tamen hæc nondúm intelligerent, néque crederent, adeó ut pro summo absurdo ducerent, *Illum crucifigi*, 24.11. & verba Mulierum, *De Christi Resurrectione*, eis visa sint quasi deliramentum, ut ait Lucas. Quid quæso de tám multis qui Hierosolymis, ac passím in Judæa á Christo, Christíve Apostolis, aut Joanne Baptista fuerant baptizati, & instituti, aut qui inter exteras Regiones dispersi, quę Hierosolymis gererentur, ignorabant, dicendum est? Nonné fatendum

dum eſt, Eorum *Fidem*, citrâ tamen ſalutis jacturam, fuiſſe implicitam? Et, nonné Cornelius Timens Dei fuit, ac Deo gratus, & acceptus, priúſquã Chriſtũ explicaté noſſet? Quid ergó de NINIVITIS ſentiẽdum eſt? Et quomodo eorũ *Fides* nõ fuerit magis, quã noſtra eſt hodié, implicita?

Sed quúm ſint, ut ait Calvinus, duæ Fidei partes, Una in MENTE, quæ eſt Dei, ac Miſteriorũ cœleſtiũ COGNITIO: altera in *Corde*, quæ eſt firma in Deum *Fiducia*: Implicita olim fuit, in priore illa parte, multorum *Fides*, nondúm ſcilicét publicé patefacto, nec prorſús intellecto Chriſti Miſterio: in altera autém parte, *Cordis* ſcilicét *Fiducia*, minús. Quámvis.n. partím ex *Cognitione* naſcatur *Fiducia*, non ſempér tamen amphorem COGNITIONEM FIDUCIA major, aut minorem minor neceſſariò conſequi-

tur: quúm hæc Fiducia, liberæ, divinitús tamen excitatæ, VOLUNTATIS Actio quædam sit. Undé videmus multos Dei notitiam injustè detinere, eámque partím, aut etiam ominó, extinguere. Ut ígitur Apostoli, Christi, néque Mortem néque Resurrectionem satis adhûc intelligentes, eum tamen sibi salutis Authorem fore, divinitús persuasum habebant, hácque FIDEI Anchora nitebantur, ut anté audivimus: Ita multi & anté, & post Mosẽ, quámvis multa in salutis nostræ misterio, nondum sibi revelata, ignorarent, illud tamen tenebant, Jhovam, qui se humanum genus per Messiam liberaturum promiserat, esse Deum suum, ac sibi Patrem, Servatorémq; futurum, quod primum Legis Mandatum requirebat, ut anté ex Noëllo intelleximus. Hac autem FIDE prædíti, in Deo acquiescebant, totam suæ salutis SPEM in eo ponen-

nentes, totiúsque vitæ ſuæ gubernacula ei permittentes, sícq; mundo, propter Cognitum, Amatúmq; Deúm, renunciabant. De iis enim tantúm loquimur, quibus hoc fuit divinitús revelatum, ac perſuaſum, sive NINIVITÆ fuerint, sivé alíus Gentis, quúm ſuos quoſdam ubíq; Deus habeat, quos, né pereant, ſuo Spiritu illuſtrat, ac gubernat.

Hæc autém FIDES, ut ſatís authoritate confirmatum eſt, & fœdus, & Chriſtum étiam ipſum quodammodó includebat. Quia Deus nemini eſt Deus, nisí per Chriſtũ, & cui Deus eſt Deus, Chriſtus étiam proculdubió Servator eſt. Quomodó.n. eum negligat, qui Deo cõfidat, cúm ille ipſe Deus ſit, cui confiditur, cúm Deo confiditur. Néq; enim duo dii ſunt, ſed ũnicus, *qui erat in Chriſto mundum ſibi reconcilians*, ut ait Apoſtolus. Quod mihi

videtur non modó attingere, ſed aperté étiam exprimere Kneuſtub. cúm ait, *Eam perſuaſionem, qua quis ſibi, (divinitús ſcilicét edoctus,) certó perſuadet, Deum eſſe Deum ſuum, fontem eſſe divini cultus, & Obedientiæ Matrem: ea diſtingui Fideles ab Infidelibus, Chriſtianos ab Ethnicis, & utrorúmq; inter ſe opera. Hanc denique Divinæ bonitatis perſuaſionem eſſe, quæ hunc Juſtificet, quúm ille, qui ea ſit deſtitutus, Deo infeſtus ſit, & exoſus.* Itáque illa FIDEI implicitas (ut itá loquar) in priore illa FIDEI parte, quæ in MENTE eſt, præcipué verſabatur, nondúm plane patefacto, ut núnc eſt, Chriſti Miſterio: non autém in hac poſteriore, *COR DIS* ſcilicét FIDUCIA, quæ *Potior* illius pars á Calvino, ab Heminго autém *Forma* vocatur, aut ſí velis, *Anima*, vel *Vita*, utpoté ſine qua prior illa in MENTE tantúm Dei, Chriſti-

Christíve Notitia, sit mortua, quũ si hæc sit, illam quoq; esse sit necesse.

Neque veró cúm FIDEM implicitam nominamus, crassam, & affectatam Dei Christivé ignorationem intelligimus, ut quidam, audito implicitæ FIDEI verbo, statím animo concipiunt, sed veram, ac certam Dei, salutariúmque misteriorum, notitiam, pro temporis tamen, ac revelationis modo, piis hominibus patefactam, cum firma in Deum Fiducia, ardentíq; proficiendi desiderio conjunctã. Quam qui non concedat, & anté, & post Mosen, in quamplurimis (ne dicam omnibus) fuisse, necesse sit, ut aut pené omnes, qui anté missum in Apostolos, die Pẽtecostes, Dei Spiritum, mortui sunt, á vita æterna excludat: aut aliam, quám per Fidem, Christúmq;, viam esse confiteatur, qua illi Justitiam, ac Vitã illam beatissimã consequuti sint.

EJUSDEM

DE EODEM ARGUMENTO, Scripta duo, abhinc sex aut septem Menses, in quorundam Amicorũ gratiam exarata.

(***)

✻SCRIPTUM PRIMUM.

COGNITIO est homini data, ut bonum, quod norit, Appetat, & persequatur, eiſe adjungere cupiens, ut ſibi bené ſit. Eſt autém Cognitio in Homine duplex, SENSUS, & INTELLECTUS, Illa operatur Videndo, Audiendo, Odorando, Guſtando, Tangendo res corporeas: éſtque Homini cum Brutis animãtibus communis, eis, hujus vitæ cauſa, conceſſa: nempé, ut quæ ſunt ſalutaria appetant, viténtq; contraria, ut iis hic bené ſit. Sed quoniam homo eſt ad aliam prætereá vitam, nempé Cœleſtem, conditus: illi (quod nulli prætereá animanti tri-

butum est) Rationalis étiam, Immortalísq; *Animus* est á Deo datus, quo res Spirituales, & æternas contempletur, summúmque adeó Bonum, qui Deus ipse est, ut illud expetat, eíq; se adjungat, ut sit illius conjunctione in perpetuum beatus. Hæc autém Hominis cum Deo Conjunctio fit, ut docent Literæ, vera, vivá-que tantúm FIDE. Undé constat, FIDEM quúm tantum homini Bonum conciliet, esse præstantissimum quoddam, non iners, sed efficax maximé, & actuósum, quodq; non partem, sed totum Hominis Animum occupet.

Sunt autém humani Animi duæ quasi partes, INTELLECTUS, & VOLUNTAS: illo bonũ *Intelligimus*, hac *Volumus*, & *Appetimus*. *Intellectus* enim, in quo inest Scientia, *Cognitióque* rerum, est *Voluntati*, in qua est *Appetitus*, ut Regi datus Consiliarius, né quid temeré, aut

quod

quod noceat, *Appetat*. FIDEI igitur, qua totus homo immutatur, ac Deo conjungitur, ſedes eſt, non modo in *Intellectu*, ſed étiam ac præcipué in *Voluntate*. Quúm.n. FIDES reſit præſtantiſſima, eam in præſtantiore Animi parte præcipué reſidere conſentaneum eſt. Itáque FIDES mihi non eſt Dei, Chriſtíve, aut miſteriorum Cœleſtiũ ſimplex, nudáve *Cognitio*, quæ in docti alicujus cerebro volitet: Sed ut INTELLECTUS, ſic étiam ac præcipué *Voluntatis* eximia quædam Actio requiritur. Undé perſpicuum eſt, non illicó FIDEM eſſe, ſi *Intellectus*, cujus eſt verum á falſo, á malóq; bonum dijudicare, officium faciens, bonum *Voluntati* demonſtret, & offerat, ut Regi Conſiliaríq; bonum dat conſilum, niſi étiam *Voluntas* oblatum bonum excipere ſit parata. Quamdiú enim hæc illud taſtidioſé reſpuerit, aut contempſerit,

tit, alió se applicans, gravissimo se scelere obstringit. Tantum abest ut sine ea, itá pręparata, vera *Fides* esse possit. Est ergó necessarius utriúsque consensus: nempé ut bonum quod ab *Intellectu* offertur, cupidé, & amantér á *Voluntate* excipiatur; Quod á Voluntate fieri nequit, nisí volendo, amando, appetendóque illud Bonum. Hoc cúm contingit, sic totus Homo immutatur, ut fiat, (ut loquitur Paulus) *Nova creatura*. *Intellectus* enim errore & mendacio liberatus, vero jam pascitur: & *Voluntas*, quæ priús se suáq; tantúm amabat, & quærebat, Deum Bonorũ omnium Fontem ardentér amat, & quærit, ejus perfecté fruendi, eíq; simúl obtemperandi cupida. Hæc Christiana FIDES duabus nixa columnis, INTELLECTU, & *VOLUNTATE*, donum est Dei in Christo eximium, per Spiritum ejus sanctum, miros habens effectus.

Ho-

Hominem enim Deus ea præditum, ſibi per Chriſtum conciliat, primúm omni ſcelere expians, deínde Juſtitia étiam, ſuóque Spiritu donans, quo ad vitam beatiſſimam citra errorem, ſi ei obtemperet, perducatur. Hæc autém homo conſequitur, nullo ſuo merito, ſed mera Dei benignitate, qui in ſe credentibus, tantum boni eſt pollicitus, olímq; procul dubió præſtabit diligentibus ſe.

JAM veró quæritur, Utrúm hęc prima rectáq; Voluntatis Affectio, qua Deum, ſibi ab Intellectu demonſtratum, amare incipit, eo frui cupiēs, ſit de *Fidei* Natura, an veró illi quidam Effectus. Hoc quidam defendunt, ego illud magís probo. *Primúm*, quia Fiduciam præcedit, quæ tamen præcipua *Fidei* pars eſſe dicitur. *Deinde*, quúm primus hic Cordis erga Bonum motus, Chriſti Apprehenſionem præcedat, (néq; n. apprehenditur, niſi á Volentibus)

ſi *Fidei*

si *Fidei* Effectũ sit, Bonumq; Opus, hoc saltém bonumOpus Hominem Justificandum præcedet, non sola *Fides*. Deníq;, Primum illum boni *Amorem* de FIDEI natura esse dico, ne *Fidem* cogar confiteri nihil esse, præter Dei Notitiam in MENTE, á qua Opinione, video doctissimum quémq; abhorrere. Cúm .n. prima *Voluntatis* Actio sit, ergá bonum quidém, ut illud *Velit*, & *Appetat*, erga malũ veró ut illud nolit, & aversetur: Si illa Dei *Dilectio* non sit de *Fidei* Natura, sed illi' tantũ Effectus, necesse fuerit *Fidem* in solo *Intellectu* sedem habere, & illius Naturam in se, ac per se spectatam, ábsque Dei *Dilectione* esse. Quæ *Fides* Dei Amore vacua, mirum est si consequatur a Deo non Amato, sed tantúm Cognito, Peccatorum remissionem, divinámq; Justitiam, ac vitam beatissimam.

Quod ut meliús intelligatur, ejus me-

meminiſſe convenit, quod, cúm de *Fidei* Juſtificatione agitur, aſſidué in culcare ſolemus, *Fidem* Juſtificantem nón magís poſſe carere bonis Operibus, quám Solem Luce, aut ignem calore privari. Sed tamen in Juſtificationis negotio omninó, ac diligẽtér ſẽpér eſt diſtinguẽdum inter Cauſam, & Effecta: *Fidem*, & Bona *Opera*: néc ullo modo committendum, ut hæc in ullam vél minimam rationem, & conſiderationem veniant, quín potiús ut ſepulta jaceant pendente hoc judicio, perindé ac ſi non eſſẽt, ut tota Juſtificationis laus & gloria ſoli Fidei, ſeorsím ab Effectis, & per ſe conſideratæ, tribuatur. Quod ſi, ut verum eſt, arctè teneatur, cúm primum illum Dei AMOREM qui ex vera illius *Cognitione*, naſcitur, nolint eſſe de FIDEI Natura, ſed illius tantúm Effectum, hic nullo modo erit conſiderandus, ſed perínde ac ſi non eſſet, cogitatione

one ſaltém removendus, ſoláq; FIDES, ut cauſa ſeorsím & per ſe, abſque Dei Dilectione in mente tamen ſpectanda, ut ejuſmodi ſcilicét *Fidei* tota ſalutis noſtræ laus tribuatur,

Verúm utrúm iſtiuſmodi FIDES ea ſit, quam tot, ac tantorum nobis bonorum cauſam eſſe prædicant ſacræ literæ, cuivis perpendendum relinquo: mihi certé non videtur. Ideóque dico, Fidei Juſtificantis ortum eſſe ſpectandum, in prima, præcipuáque Mentis, & Voluntatis actione: Cúm ſcilicét Mens, divino ſpiritu colluſtrata, concipit, imó cernit, non quodlibet bonum, ſed ſummum illud, qui Deus eſt, in Chriſto nobis patefactus: ſimúlq; Voluntas ab eodem Spiritu impulſa, nó quodlibet bonum, ſed ſummum illud, nobis in Chriſto exhibitum, relictis rebus aliis, ita ardet & perſequitur, ut quieſcere nec velit, nec poſſit, donec eo perfruatur. Illud autém in Chriſto

ſto tantúm conſequitur, in quo Deus ſe omnibus mortalibus fruendum exhibet. Ideó mihi videtur *Fides* rectè ab Hemingio hoc modo definiri, ut ſit, *Notitia, & aſſenſus promiſſæ, & expetitæ miſericordiæ, & in eandem firma Fiducia*. In hac.n. Definitione, primúm vides Notitiam boni, hoc eſt, Miſericordiæ Dei, & Aſſenſum requiri: deínde ejuſdem etiam AMOREM, in eo quod ait, *Expetitæ*: poſtremó Fiduciam, quæ ex nota illa, & omnibus hominib° omni tẽpore expoſita, & promiſſa, jámque etiam expetita, Dei miſericordia naſcitur. Ab hac autém, ità in nobis per Spiritum Dei formata, *Fide*, proficiſcuntur omnes rectæ laudabiléſq; actiones quæcunq; ſint, ſivé internæ, ſivé externæ, quæ hominem non juſtificant, ſed jám Juſtificatum ſequuntur, ut ait Auguſtinus.

Quód autém de Fide dixi, ità ſeſe habere, indé etiam perſpicuum eſſe vide-

videtur, quód Lex Deí, qua omne bonũ præcipitur, tantũ *Amare* præcipiat, nempé, imprimís Deũ, deínde Hominem. At Lege Dei *Fidẽ* præcipi nullus negârit, quũ ſit res optima. itaq; ardenti Dei Amore, ex ſyncera Dei *COGNITIONE* nato, neceſſe eſt *Fidem* contineri. Quoniam autém hæc duo, Dei Cognitio, et confidens de illius Miſericordia Amor, ad *Fidei* Juſtificantis naturã conſtituendã concurrũt: fit, ut in ſacris literis alterutrũ promiſcuế ſæpé uſurpetur, & tamẽ utrúmq; ex eo intelligatur, quod nominatum fuerit, ut cúm Chriſtus ait, *Vitam æternam eſſe, ut Homines cognoſcant Deum, & quem ipſe miſit Jeſum Chriſtum*. Hoc ením intelligendum eſt de Dei *Cognitione*, non nuda, ſed quæ in hominum Cordib⁹ excitet Dei, Chriſtíq; purum Amorem. Et rurſús cúm ait, *Qui diligit me, diligetur a Patre, & ego diligam eũ, & ei me patefaciã*. Et, *Si quis*

Iohan. 17. 3.

Iohan. 14. 21. & 23.

quis diligit me, ſermonem meum ſervat, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum manebimus. Hoc enim de ea Dei Dilectione intelligitur, quæ ex ſincera ejuſdem COGNITIONE proficiſcitur. Itáque ab alterutro tantúm denominato, alter étiam intelligitur, ac proinde tota Juſtificans FIDES: a qua una, ut initiô diximus, pendet noſtra cum Deo conjunctio, vitáq; æterna: præcipué tamẽ ac neceſſarió Dei *Amor* ejuſdem *Cognitionem* includit, quúm Amor eſſe non poſſit ſine *Cognitione*. *Ignoti námque nulla Cupido*. COGNITIO abſq; *AMORE* eſſe poſſit, ſed ejuſmodi *Cognitio* vana eſt, & inanis.

Itaque ſivé in Juſtificationis negotio, ſivé in Cœnæ miſterio, ſivé in alio quovis loco explicando, Amoris nomen uſurpavimus, per Amorem, ex ſincera Dei *Cognitione* promanantem, vivam Fidem intelligi-

mus, cuj' præcipuam partem confidentem illum de Dei in Christo misericordia Amorem: quúm absque ejusmodi Dei *Amore*, rerum etiam Cœlestium, ac Divinarum *Cognitio*, sit non modó inutilis, sed etiam noxia quibusvis futura, ut magno Diabolus est Argumento, qui Deum Creatorē, Christúmq; Servatorem esse certó novit, sed neutrum tamen diligit: atque ideó est miserrimus, ut qui suæ tantæ impietatis meritas det pœnas.

Hæc est mea de ea re sententia, quam néc novam, néc a veritate alienam esse existimo, quod mihi concessuros spero, qui eam diligentér expenderint.

✻ SCRIPTUM SECUNDUM.

DEus Hominem condidit, non ad hanc proprié vitam, quæ feré est *Corporis* hominíq; cum Brutis communi-

munis, sed ad futuram æternam, ac beatissimam, quæ potiús est *Animorũ*. Ut autẽ ad hanc in Matris utero 9. feré Mensibus: sic ad alteram toto hujus curriculo prẹparari debet, quẹ cúm sit *Animorum*, Animi híc nobis præcipué cura habenda est. Sunt autẽ Animi duæ quasí partes: Mens sivé *Intellectus*, & VOLUNTAS: in Intellectu, (qui est *Voluntati* tanquám Consiliarius Regi datus, ut recta, & salutaria ostendat, ac moveat) est *Notitia*: in *Voluntate autẽ* (quẹ sui Consiliarii, étiam sapientissimi, Consilium si velit, spernit) Imperiũ. Jám veró quúm Deus totum sibi hominem consecrare, ac proínde beare velit, (quod fit sola FIDE) *Fidem* necesse est, non in altera tantúm sed in utraque *Animi* parte locum, & sedem habere: sed tamen in *Voluntate* præcipué. Cúm enim ea sit præcipua, ac dominans *Animi* facultas, eam sibi subjicere, ut sponte mo-

rem gerat, Deus præcipué cupit. Ad veram ígitur Juſtificantémq; Fidem (de hac enim loquimur) neceſſe eſt utriúſque, *Mentis* ſcilicét, ac *Voluntatis* actionẽ concurrere. *INTELLECTUS* autém actio eſt, intelligere Verum, Falſum: Bonum, Malum: VOLUNTATIS veró velle hoc eſt, Amare Bonũ, Odiſſe Malũ, ei ab *Intellectu* oſtenſum. Ad FIDEM veró, debent, *Intellectus*, & *Voluntas*, Intelligere, & Velle, non quidlibet, ſed Bonum: nec Bonum quodlibet, ſed Summum: hoc eſt, Deum, in quo demptis malis, eſt omnium Bonorum cumulus.

Ergó, ſí erroribus cœcatus Hominis *ANIMUS*, ſummum illud bonũ non videat, ac proínde *Voluntatem* eó nec invitet, nec alliceat: FIDES nulla eſt, & qui ita affecti ſunt, *Fidei* ſunt penitús expertes.

Quod ſí *Intellectus*, divina luce colluſtratus, ſummum illud Bonum vide-

videat, eſſéque firmitér credat, Deum mundi Creatorem, hominúmque in Chriſto Redemptorem, vitámque poſt hanc, æternam, túm, quia quod veriſſimum, optimúmque eſt, creditur, aliqua FIDES eſt: ſed tamen, ſi *Voluntas* oblatum illud a *Mente* bonum reſpuens, nec illud volens, ſe ad hujus mundi bona, quæ dicuntur, voluptatéſque applicet, *Fides* ejuſmodi, quæ in ſola MENTE verſatur, mortua eſt, quod ad Juſtificationem attinet, nec hominem itá Deo reluctantem, Juſtum, Deóve acceptum, quicquid credat, reddit: imó, quó major ea lux in *Mente* fuerit, eó étiam major erit hominis Injuſtitia, ac perverſitas, tantum bonum, divinitús ſibi oblatũ, repudiantis, Deíq; véritatem tám injuſté detinentis.

Sed, ſí divinitús & *Mente* colluſtrata, & *Voluntate* impulſa, ſummũ illud Bonum & videat homo, & vélit, (quæ prima *Voluntatis* actio erga

bonum, *Amor* vocatur) ac, cúm intelligit, quúm Deus ſit juſtus, ipſe autem peccator, ſe eo pervenire nō poſſe, niſi ab illo fuerit ipſe peccatorū remiſſione, ac juſtitia donatus: ideó peccatum oderit (quæ prima *Voluntatis* erga malum actio, *Odium* appellatur) ac confiteatur, venámq; ſupplex petat, Deo reconciliari, ac conjungi cupiens: hic vera FIDES eſt cum pœnitentia conjuncta, duabus nixa columnis, MENTE, ac *Voluntate*: ſed in hac tamen præcipué reſidens, ac relucens, eximium ſingulare Dei donum, *Mentem* ſuo Spiritu colluſtrantis, ac *Voluntatem* ad ſui *Amorem* excitantis, unicúmque Chriſto, omnibúſque ipſius bonis excipiendis, idoneum inſtrumentum.

Hæ autem ſunt illæ internæ primæqué *Mentis*, ac *Voluntatis* Actiones, quas ad *Fidei* Juſtificantis naturam conſtituendam concurrere neceſſe

ceſſe eſſe exiſtimo. Quarum ſi neutra adſit, nec FIDES ulla erit, aut ſí ſolius *Mentis* Actio ſit, quippé cui non aſſentiatur *Voluntas*, mortua tamen *Fides* fuerit, i. qua étiam impii, imó Diaboli, prædíti eſſe poſſunt, qui Deum mundi Creatorem, & hominum in Chriſto Redemptorē eſſe nórunt, ſed *Voluntate*, inani ſui Amore capta, ſunt ab eo alienati. Verúm ſi *Mens*, & *Voluntas* officium ſimúl fecerint, hoc eſt, ſí *Voluntas* bonum, ſibi a *Mente* oblatum, non modó non reſpuat, ſed étiam expetat, & cum obtinendi *Fiducia*, quærat, ac conſectetur: túm vera *Fides* eſt, una cum Spe, ac Reſipiſcentia: qua non modó intelligit homo Deum eſſe jûſtum, ac bonum, ſed qua ſibi étiam certé perſuadet, eum, quem novit, *Nolle mortē Peccatoris*, ſibi gemēti, & ad eum converſo, fore propitium. Deus autém hominis, ita affecti, ſpē nunquám propter Chriſtum fruſtra-

 bitur,

bitur, ſed itá quærenti, obviám ſe præbebit, pulſanti aperiet, petẽtiq; peccata condonabit, juſtitiam conferet, ac tandém ejuſmodi hominem vita æterna donabit: quo miſer ille nullo ſuo conatu, nullis lachrimis, nullis ſuis viribus, quantúmvis *Fide* aút divina gratia adjut°, pertingere unquám potuiſſet. Itáque hoc totum eſt unius Dei Benignitati, ac Miſericordiæ acceptum ferendum, qui non ex merito noſtri conatus, aut *Operis*, ſed ex mera ſua gratia, noſtri propter Chriſtum miſeretur.

Ex FIDE autém itá conſtituta, omnes poſteá bonæ, tám internæ, quám externæ Actiones perpetuó oriuntur: quæ tamen tantúm abeſt, ut hominem juſtificent, ut ne FIDES quidém ipſa (ſi proprié loqui velimus) juſtificet. Inſtrumentum.n. tantúm eſt ad excipiendam Dei miſericordiam, in Chriſto mortalibus oblatam, idoneum. Juſtus enim non eſt,

eſt, nec vita æterna, ſuo ipſius judicio dignus, qui ut peccator eſt, ità ſua adverſus ſe peccata, non fictè, ſed ingenuè confitetur, mortémque, qua dignum ſe judicat, deprecatur, veniam cum gemitu, & lachrimis implorans. Poſſet ígitur Deus illum cum precibus, ac lachrimis rejicere, ut Eſau benedictionem étiam cum Lachrimis efflagitantem Iſaac rejecit. Sed quia miſericors eſt Deus, atque ità miſericors, ut *ne Peccatoris* quidém *mortem velit, ſed potiùs ut convertatur, & vivat*, homini ità ad ſe converſo, ac pulſanti aperit, gratíſque propter Chriſtum ſuum, peccata primúm remittit, deínde eũ Juſtitia étiam donatum, ad ſe aſciſcit, in Filiúmq; adoptat, ut in illo deinceps, tanquám in ſuo templo, habitet. Non eſt ergó exiſtimandum, hominem propter *Fidei* dignitatem, aut preces, vél Lachrimas, pulſandíve conatum, veniam ac tanta Bona mere-

mereri, quúm ſuo ipſius judicio dignus ſit, qui pereat: ſed hoc totum, quod repeto, proficiſcitur ab immẽſa unius, in Chriſto miſerentis, Dei gratuita gratia. Quæ tamen in impietate permanentibus, aut mortua tantúm FIDE præditis hominibus non conceditur: ſed iis ſolis, qui divino afflatui obtemperantes, ita fuerunt a Patre, qui eſt Agricola, culti, ac præparati. Hæc enim, non alia, *Fide* nobis Chriſtus, Chriſtíque omnia Bona, acquiruntur, & applicantur.

Neque.n. credendum eſt, divinam Gratiam, quæ in peccatorum remiſſione, Juſtitiæq; dono ſita eſt, é Cœlis, ſuper homines ocioſos, & dormientes, pejuſvé quidpiam facientes, citra delectum, grandinis inſtar, decidere: ſed Deus, Corde cõtritos, & ob peccata ſua gementes, exaudit: medicúmque ac remedium quærentes ſanat. Cúm ergó

agitur

agitur de obtinenda primó peccatorum remiſſione, ac juſtitia, homines Deus intuetur, non ut qui res per coloratũ vitrum ſpectant, quib⁹, quod nigrum eſt, rubrum aut viride videtur: ſed illi peccatores, in peccatis permanentes, nec reſipiſcentes, idololatræ, ſcortatores, avari, ambitioſi, maledici, &c. nec juſti, nec caſti, nec puri videntur, neque illis, nec curantibus, nec credentibus, peccatorum remiſſionem, juſtitiámq; (ne per Chriſtum quidém) largitur: quiá ad hoc recipiendum nõ ſunt idonei, ſed iis, qui reſipiſcentes, uti diximus, eúm quærunt. *Ne errate*, inquit Paulus, *néque ſcortatores, néque Idololatræ, néque avari, néque maledici hæreditatem Cœleſtem poſſidebunt. Vos autem aliquandó tales fuiſtis, jam verò non eſtis.* 1.Cor.6.9.

Quod ad eos autém attinet, qui vera FIDE pręditi, impetrata á Deo venia, in illius jam Familiam tranſierunt,

erunt, quãvis antequám a Deo adoptarentur, multúm peccarint, posteáq; cõtingat ut peccent, ut in Davide, & Petro videre est. Simulátq; tamen resipiscentes ad Patrem convertuntur, & clamant, eis, propter Christum, benigné remittit, eósque per Christum, quasi per vitrum, si ità velis, intuens, justos pronunciat, sanguine nempé Christi expiatos, & in sua hic familia retinet, donec ad vitam æternam perducat. Sed hoc tám singulari privilegio nemo gaudet, qui non sit vera viváque *Fide* ac Resipiscentia prædítus, atque ita divino Spiritu immutatus, ac præparatus, ut ad recipiendam hanc gratiam sit idoneus. Quemadmodúm ígitur Ægrotum nihil juverit, si Medico omnem de potione FIDEM adhibuerit, hoc est, firmitér crediderit, eam sibi vél maximé esse salutarem, nisí ebiberit: & Medicus ipse ridículus fuerit si illud Ægroto satís fore per-

re perſuadere velit, quúm ſit illa ſumenda: Sic étiam Peccatori nihil profuerit, ſi vel omnia ſalutis, in Chriſto, noſtræ miſteria crediderit, Chriſtúmque ſuum ipſius Redemptorem eſſe perſuaſerit, niſi illum ſibi applicet: ridiculuſqué fuerit, qui hoc de Chriſto credere ei ſatis eſſe perſuadere velit, quia ipſe eſt ſumend°, ut in nobis habitet, ac vivat. Ut autém potionem ſumat Ægrotus, id primúm Velle debet, deindé, quod ex eo conſequitur, ſe ipſum é Lecto erigere, manum, os, & guttur præbere, ſalutem quærens, & expectans: Sic, ergó, Peccatorem, qui a Chriſto ſanari cupit, affectum eſſe convenit: (invitis enim hæc medicina non datur.) Primúm ergó Chriſtum, hominum juſtitiam, Expetere debet, eíque ſe adjungere Cupere, ut fiat illius conjunctione Juſtus, & beatus: Deinde manum, os, & guttur étiam porrigere, hoc eſt, illum quærere,

rere, ostium pulsare, veniámque ab illo petere : nisi enim quis ita sit comparatus, Christum nunquám excipiet, imó ne oblatũ quidém excipere curabit.

(·.·)

CAUSARUM EFFECTORUMQUE in nostra Justificatione, *Series.*

QUAMVIS in nostra JUSTIFICATIONE multa concutrãt, quæ Tempore non distinguntur: tamẽ si docendi gratia Causarum, & Effectorum ordo requiratur, sic texi posse videtur.

PRIMA Salutis nostræ Causa, I
Deus est, per Spiritum suum in nobis agens. Primus autém SPIRITUS Dei, nos ad vitam æternã perducere volentis, Effectus est, MENTIS ab errore *Liberatio*, ac cœlestis in ea veritatis *Cognitio*: Quæ FIDES quædam est, ea vera esse credens, quæ sunt humanæ salutis causã, revelata. Sed hæc *Fides*, quod ad Justi-

Justificationem attinet, mortua est, nisi ulteriús progrediatur.

2 Secundus ígitur requiritur ejusdem SP. Effectus, quo, ex ea, quę in *Mente* est, veri boníque Notitia, *Voluntas* ad ejusdem Amorem excitetur. Quod fit, dum homo summũ bonũ, ad quod invitatur, summúmque ex altera parte malum, quod sibi imminet, cernens, ad illud concupiscendum, ac serió quęrendum, hoc veró odio prosequendum, ac fugiendum divinitús incitatur. Néq; hoc satis est: frustrá. n. si hic SP. conquiescat, illud expetas, hoc refugias.

3 Pergens ígitur ille, in Corde gignit, ex ea quæ in MENTE est, Dei summé in Christo misericordis *Notitia*, *Spem* ac *Fiduciam* gratiæ, veniæqué obtinendæ. Sic autém affectus, ac comparatus homo ardẽtér quærit quod expetit, petítq;, ac pulsat, malo liberari, bonoque frui cupiens.

piens. Et hæc ſunt non quidém á nobis, ſed tamen in nobis ſpiritus ſãti Effecta, á quo né hic quidém homo deſeritur, alioquí enim in miſeria permaneret, Cognitiq;, & Amati boni flagranti deſiderio, miſeré Tã tali inſtar, perpetuó torqueretur.

DEUS ígitur, quúm ſit idem ſapientiſſimus, atque optim°, ac propterea nihil fruſtrá faciat, neminémque inani ſpe lactet, Hominem itá affectum, & á ſe præparatũ, in Chriſti, omniúmq; ejus bonorum *Poſſeſſionem* mittens efficit, ut inſtrumento, quod illi in hunc finem tribuit, hoc eſt, vera FIDE, Chriſtum, & in Chriſto ſeipſum, ſummum ſcilicét quod expetebat bonum, apprehendat: aut ſe potiús illi ſua ſponte inſinuantem & ingerentem admittat: *quã* Chriſti *Apprehenſionẽ*, & ad nos *Applicationẽ*, ejuſdem in nobis continuó conſequitur *Habitatio*. 4

HABITATIONEM autém SP.

Testimonium, quo certiores reddimur, Nos jam in Christo, ac Christū in nobis esse, in quo id totum consequuti sumus, quod tàm ardentér expectamus, hoc est, Deum jam nobis esse Patrem, ac nos illi chariſſimos Filios.

6

Unde etiam efficitur, ut illū pro suo quisque modulo credamus, cáque charitate (indies tamen crescente) complectamur, ut propter illum quídlibet, & facere, & perpeti parati simus, ac nos tandem ipsos etiam obliviscamur, & abnegemus, ut illum, in quo scimus esse omnia, possidere, & in illo permanere perpetuó possimus.

7

Ex hac autem cum Deo necessitudine, ac familiaritate nova & certa nascitur *Spes*, ac Fiducia, non impetrandæ jam veniæ (eam enim scimus nos obtinuisse) sed Coronæ Vitæqué æternæ consequendæ, quæ *Spei* gloriatio vocatur: de qua in nobis

8

bis testatur Spiritus sanctus. 9

UNDE existit Electorum Πληροφορία, quæ dicitur, præsentissimum in rebus adversis, imó contra omnes Tentationes remedium, tutissimúmque perfugium. Nam *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Quis accusabit Electos Dei? Quis in eos mortis sententiam feret? *Quis eos separabit a Charitate Dei, quæ est in Jesu Christo Domino nostro?* Hac igitur *Fide*, SPE, CHARITATE præditos nos Spiritus sanctus ad vitam æternam, beatissimámque, citra errorem perducit.

✻ EFFECTORUM Ανακεφαλαίωσις.

MEntis ab errore Liberatio, & cœlestis in ea Veritatis Cognitio 1

Voluntatis erga Cognitum bonum desiderium, & Mali Odium. 2 3

In eadem Voluntate Spes ac Fi-

ducia Cogniti Amatíque boni obtinendi.

4 Miſſio in poſſeſſionem Chriſti, vel illius apprehenſio, & ad nos applicatio.

5 Chriſti in nobis Habitatio.

6 Sp. ſãcti de Chriſto in nobis habitante Teſtimonium.

7 Noſtri erga Deum, quem ut Patrem jam veneramur, Charitas, vel Amor: undé Bona Opera.

8 Spes, ac Fiducia coronæ: de qua nos certiores reddit ſpiritus.

9 Undé Electorum Πληροφορία, qua muniti, intrepidé ad vitam ęternam contendunt.

DE

DE CHARITATIS VARIA *significatione, & ejusdem* cum *Fide* nexu.

HINC ETIAM aliquantū intelligi posse existimo, ut sit accipiendū, quod diximus, *Amore Nos cum Deo conjungi*: &, *Charitatem esse* Fidei, *quæ alioqui in Mente otiosa ac mortua foret, velut Animam, ac denique Omnium bonorum Matrem*: quod durum nonnullis, & insolens *visum est, quamvis nos nec soli, nec primi ità simus loquuti.*

I

NAM de Primo, ita scribit Augustinus: *Anima humana nunc quidem minor est, quàm Angelorum natura est, sed futura qualis Angelorum, si ex præcepto sui Creatoris vixerit. Præceptum autem ejus est, ut in*

AMORE *cum Deo conjungimur.* Lib. de Spi. & Anima.

ut in Dilectione ejus maneamus: Manete inquit, in Dilectione mea. Per Dilectionem namque sibi rationalem creaturã copulavit, ut eum semper haberet, & in ipso semper maneret, de eo, & in eo delectans gaudens, exultans. Per Dilectionem creatori suo, & sibi invicem rationalis creatura copulata est. Solum namque Dilectionis vinculum est, quod ligat utrósque in idipsum: per AMOREM *Dei omnes ei adhæremus: per* AMOREM *Proximi omnes ad invicem unum sumus, ut bonum commune omnium fiat singulorum, & quod quisque in se non habet, in altero possideat.* Charitas *est via Dei ad Homines, & via hominum ad Deũ. Per Charitatem venit Deus ad Homines, venit in homines, factus est homo. Per* CHARITATEM *Homines diligunt Deum, eligunt Deum, ad Deum eunt, ad Deum perveniunt. Sic etiam familiaris est Deo* Charitas, *ut ipse mansionẽ habere voluit, ubi* Charitas *non fuerit. Si ergo* Charitatem

habemus, Deũ habemus, quia Deus est Charitas. Et alibi. *Magnam rem commendare volumus, si tantum valemus, quantum volumus. Omnipotẽs Deus, qui nullo indiget, rationalem spiritum creavit sola Charitate, nulla necessitate, ut eum suæ beatitudinis participem faceret. Porro ut idem aptus esset tanta beatitudine perfrui, fecit in eo Dilectionem spiritualem: palatum Cordis quodammodo per eam sanctificans, ad gustum dulcedinis internæ: quatenus per ipsam, viz. Dilectionem, suæ fœlicitatis jocunditatem saperet, atque ei infatigabili desiderio inhæreret. Per Dilectionem ergó copulavit sibi Deus creaturam rationalem, ut ei semper inhærendo, ipsum quo beatificanda erat bonum, ex ipso quodammodó per affectum sugeret, & de ipso per desiderium biberet, & in ipso semper gaudium posideret. Suge ó Apicula, suge, suge, & bibe dulcoris tui inenarrabilem suavitatem: immergere, replere, quia ille deficere nescit: si tu*

Lib. de substantia Dilectionis, & Amoris.

non incipias faſtidire: ſi ſempiternus guſtus fuerit, ſempiterna quoque beatitudo erit. Et poſt. *Igitur per Amorem ſociata eſt factori ſuo creatura rationalis, ſolúmque eſt Dilectionis vinculum quod ligat utróſque in id ipſum: & tantó fœliciús, quantó fortius, &c. Ordinate ergó Charitatem*, inquit.

Hæc Auguſtinus, quem ſequutus Calvinus, ait, *Nullam cum Deo communicationem eſſe poſſe abſque Amore*: Nempé quia ad illum accedendum eſt, non pedum progreſſu, quasi corporeus, aut certo loco concluſus eſſet: nec tantúm INTELLIGENDO, quod in impios, & homines, & ſpiritus cadere poteſt, ſed pia *VOLUNTATE*, ac ſyncero Cordis Affectu. Eſt. n. Dei, Chriſtíq;, qui Animorum cibus eſt, ut panis cibíque corporalis, Apprehenſio duplex. Quemadmodúm ergó oculus appoſitum menſæ cibum,

1.Ioa.2.5.

bum, primúm videt, ac qualis ſit agnoſcit, quæ una eſt Apprehenſio, quam, ſi palato diſplicet, altera non ſequitur, ſed aut abſoluté contemnitur, aut alteri ſaltém poſtponitur: Deínde veró, ſi placet, manu étiam, & ore apprehenditur, ac nobis applicatur, quæ eſt altera: hæc autém ſola, aut ſaltém proprié, nutritionis cauſa eſt, quippé qua non interveniente, inanis ſit prior illa futura: Sic cum de Deo, Chriſtóve, Animorum noſtrorum cibó, Apprehẽdendo, nobiſque ad vitam æternam applicando, agitur, duplex utriúſq; Animi facultatis actio eſt neceſſaria: MENTIS primúm, quæ oblatum ſibi Bonum apprehendit, ac dijudicat, Deum *Intelligendo* omnium bonorum fontẽ, & hominum in Chriſto ſervatorem. Quod ſi VOLUNTATI non placet, altera non ſequitur: contemnitur enim illíve finitum hujus mundi bonum, quo *Voluntas*

luntas eſt ineſcata, anteponitur: Sín veró placet (quod á Spiritu ſancto eſt) ac ut *Mens* judicat, Deum eſſe ſummum bonum, ita etiam *Voluntas* ipſum reliquis præferat, túm etiam *Voluntate* quasi manu, & ore Apprehenditur, hominíq; ad ſalutem applicatur. Eſt enim in *Mente* notitia velút oculus, quo bonum cernimus, & judicamus: in *Voluntate* autem Amor, quasí manus, qua illud apprehendimus, ac nobis applicamus. undé hæc ſemper eſt ſalutaris, illa non itém. Nec mirúm hoc videri debet, quúm ſi hæc ſit, priorem etiam illam eſſe, ſit neceſſe: quia rei incognitæ nullus Amor. Itáq; in poſteriore concurrunt, ac velutí cóſpirant, ad bonum oblatum *Intelligendo*, & *Expetendo* obviis ulnis excipiendum, utráque Animi facultas, *Mens* ſcilicét, ac VOLUNTAS, ſícque totus erga Deum vehementer afficitur Animus. Prior autem illa,

ſi ſola

si sola sit, nec altera sequatur, salutaris esse nequit: non tantùm quod tùm desit VOLUNTATIS, hoc est, præcipuæ Animi facultatis, consensus, quùm Deus totum hominem possidere velit: sed etiam quod, nisi oblatum á *Mente*, divinitùs in eum finem illustrata, bonum, *Voluntate* excipiatur, contemnitur, in quo homo se gravissimo scelere obstringit.

Denique illum *Mentis*, Deum, bonorum omnium extremum, intelligentis, Voluntatísq; eum propterea expetentis, cum eóque conjungi cupientis, Consensum, *Fiducia* semper comitatur. Quomodó.n. ei nó *Confidas*, quem probé nóris infinitè esse omnipotentem, optimum, misericordem, tuíq; amantissimum, &c. quémq; propterea etiam *Ames*. Itáq; necesse est (ut mihi quidem videtur) Deum ab homine hoc modo excipi, cum eóque conjungi, si ullo modo á nobis excipi, ac nobiscum con-

conjungi velit : de quo dubitare nefas eſt, quúm ab hac Conjunctione pẽdeat noſtra fœlicitas, ſacris teſtata oraculis. Meritó itáque dixit Auguſtinus, *Amore nos cum Deo cõjungi*. Meritóque negauit Calvinus, *Ullam cum Deo abſque* AMORE *eſſe poſſe Communicationem*. Quos ſequuti, diximus, AMORE *nos cum Deo conjungi*: quod tantúm abeſt ut Fidei quicquam deroget, ut illius vim magís exprimat. Hic enim Amor nihil niſi *Fidei* ardor eſt, ac velut Anima: ideóque, qui dicit, Amore nos cum Deo conjungi, Fidei nihil quicquam derogat, ſed illius vim & dignitatẽ, quám poteſt maximé, extollit, & amplificat. Atque hæc de primo.

2

CHARITAS *eſt*

DE altero Martyr ad Roman. & Cor, multa ſcribit. FIDES *mortua*

ma, inquit, (*sivé historica, aut dogmatum, qua quis ea, quæ salutis humanæ causâ revelata, sacríque veteris, ac novi Testamenti libris sunt prodita, intelligit, ac credit*) *est* FIDEI *tantúm cadaver: nec natura illi convenit cum vera* Fide, *sed tantúm nomen.* Et post, Thomam reprehendens, quód illam informem *Fidem*, & formatam, quæ viva est, eundem habitum esse dixerit, ita scribit: *Nunc id tantúm referam: Thomam Aquinatem sensisse* Fidem *formatam, & informem habitum eundem esse: quia, ut existimat, ad naturã Fidei parum aut nihil pertinet, sivé Charitas adsit, sivé nõ adsit. Nã hoc temeré, et ut dicũt, per accidens, fieri arbitratur. Est sané mirã dũ*, inquit, *tantũ virũ sic impegisse, ut ista duo noluerit sua natura distingui, quum una sit mortua, altera viva: una faciat ad æternam vitam, altera veró ad condemnationem.* FIDES *enim mortua aliquam illustrationem ponit in Mente*

Fidei veluti Anima.
Rom. 11.
1. Cor. 13.

Mente sed qua quúm non Iustificet, aut regeneret, tantúm excusationem ignorationis aufert, ut Paulus ad Rom. docet & Christus in Iohanne. Hæc ille, cui sic credimus, Vivæ Fidei *naturam a mortua differt, quód illi Charitas adsit, huic desit. Deinde addit, Neque unquam concedemus,* Charitatem *esse accidens* FIDEI, *nisi forté adversarii accidentis nomine proprium intellexerint. Nō enim magis* CHARITAS FIDEM *comitatur, quam Lux prosequatur Solem.* Hæc Martyr.

Iám veró utrúm Lux Solis sit de illius essentia, quem Physici definiunt in Cœlo corpus, aut planetam lucidissimum, an veró illius accidens, non laboro: sed hinc constare, opinor, Martyrem existimare Charitatem ad Fidei justificantis naturam magis pertinere, quám ut illius accidens censeri debeat, cúm ait: *Fidei Vivæ naturam, Charitate á mortua distingui*, Thomámque, quod alitér senserit, reprehendit. Et pauló post subjicit, *Fides Vivi est qua Christum apprehendimus, qui factus est nobis Sapientia, Iustitia, Sanctificatio, et Redemptio: Verúm qua nobis potest esse justitia, quavé Sanctificatio,*

si Cha-

ſi Charitas abſit? Ad hæc, inquit, *Fides efficit ut Deũ apprehendam⁹, non modò quatenús bonũ, ſed ut noſtrum extremũ bonum, quod neceſſariũ eſt, ut* Amore, & *Charitate illicó, ut fuerit perſpectũ, proſequamur.* Deníq; alio loco, ubí Paulus varia hæc Dei dona recenſet, *ſermonẽ Sapientiæ. ſermonem Cognitionis*, Fidem, *Dona ſanationum*, *&c.* illud ipſum ait, quod diximus, *Charitatem nimirum videri eſſe Animam iſtorum donorum, quæ illa regat, & moderetur*: hæc.n. ſunt illius verba. Cap. 12.

Ex his autem conſtat veriſſimũ eſſe, quod ait Paulus, néque *Fidem* Myſteriorũ, ſivé hiſtoricam (quãvis cœleſtis ac ſalutaris veritatis *Cognitionem* in Mente ponat, habeátque certiſſimum *Mentis* aſſenſum, quippé quæ de dogmatum veritate non magis dubitet, quám de hoc principio, *Totum eſt majus qualibet ſui parte*) néq; *Fidem* Miraculorũ (quamvis

vis certa sit *Cognitio*, & vehemens *Fiducia* de Dei potentia, cum Assensu, qua quis certò credit Deum hoc vel illud miraculũ per se editurum) quicquam tamen prodesse, quod ad JUSTIFICATIONEM attinet, nisi Charitas adsit, qua *viva Fidei natura*, ut ait Martyr, *á mortua, & historica Fide distinguitur*. Nam historica, miraculorúmq; FIDES veritatis *Cognitionem* in Mente ponit, illa nempé, quód Deus sit verax, totúmque illius verbum veríssimum: hæc quod sit étiam potentíssimus, ideóq; res mirandas aggreditur, ac perficit. At viva, præter illam in *Mente* Notitiam, & firmum in dogmatũ veritate tenenda, & miraculis edendis Assensum, hominis insuper *Voluntatem* incendit ad Deum, vt bonorum omnium fontem, & hominum in Christo Servatorem, amandum & quærendum, donec illum hac ipsa FIDE apprehendat, ac sibi applicet

cet ad Justitiam, peccatorúmq; veniam consequendam.

Nititur ergó hęc FIDES Dei nó tantúm Veritate, ut historica, aut potentia, ut miraculosa, sed præcipué Bonitate, qua ad amandum, illíque confidendum allicitur. Præcipué enim id spectat in Deo Fides, quo alliciatur, ut disputat in Institutionibus Calvinus. Cujusmodi est Boni- 3.2.7.
tas, quam etiam propterea propriũ facit Fidei objectum: *túm enim ad illum quærendum allicimur*, inquit, 3.3.19.
postquã didicimus salutem nobis apud eum esse repositam. Quaré, nisi ut Mentem allicit veritas, quæ illius est objectũ, ad ea credenda quæ proponit: sic etiam Bonitas ad *Voluntatem*, suum nempé adjunctum, ad amandum incendat, viva Fides non est, sed tantúm mortua, historica, aut miraculosa, quæ hominẽ cum Deo nec conjungit, nec justificat, sed illi quia Deum (quem demonstrat per-

petuó veracem, infinité potentem, ac bonorum omniũ fontem) dictat esse toto corde amandum, ac quærendum, omnem excusationem adimit. Itáque quamdiú cognita Dei bonitas *Voluntatem* tuam ad Deum amandum, & quærendum, ut cum illo conjungaris, non impellit, tamdiú hæc FIDES nondúm in te est, a Spiritu sancto perfectè formata: sed ut antè ex Martyre audivimus, quod ad Justitiam consequendam attinet, adhûc *Informe* quiddam, vel, ut Calvinus loquitur, *Ad veram* FIDEM *præparatio*: ut quidam docent, vegetantem, & sentientem Animam esse ad rationalem excipiendam præparationes. Nisi enim ad illam veritatis in MENTE Notitiam accedat Cogniti Dei *AMOR*, necesse est, ut interveniat illius contemptus: At si verus Amor fuerit, é vestigio comitatur in Deum *Cognitum*, & *Amatum* Fiducia, de Justitia, salutéq;

per

per Christum consequenda, quæ á Calvino *Potior* FIDEI pars, ab Hemingio *Forma* vocatur: sine qua viz. Fides quidem aliqua, sed hæc tamen Fides esse nullo modo potest: quia, ut idem ait Hemingius, FIDES *in Pauli de Justificatione doctrina, non tantúm Notitiam & Assensum, sed in Deum Fiduciam proprié significat: In Jacobi autem Epistola, Notitiam tantúm Historiæ, & Assensum*, h.e. Fidē historicam, *declarat.* Rom. 4.

Quod enim quidam dicunt, ut hoc obiter attingam, Christi manducationem, vel apprehensionem, ad nosvé applicationem, FIDEI esse *Formam*, a Calvino refellitur itá scribente: *Sunt, qui manducare Christi carnem, & sanguinem ejus bibere, uno verbo definiunt, nihil aliud esse, quám in Christū ipsū credere: sed mihi expressius quiddam, ac sublimius videtur voluisse docere Christus, in præclara illa Concione, ubi carnis suæ manducationem* 4. 3. 5.

uem nobis commendat. Et paulò poſt. *Verùm, hoc inter mea & iſtorum verba intereſt, quòd, illis Manducare eſt duntaxat Credere: ego Credendo Manducari Chriſti Carnem, quiá Fide noſter efficitur, eámque manducationem fructum, effectúmque* FIDEI *eſſe dico, aut ſi clariùs velis, illis manducatio eſt Fides, mihi ex Fide potiùs conſequi videtur. in verbis quidem parũ, ſed in re non mediocre eſt diſcrimen. Nam etſi docet Apoſtolus, Chriſtum in Cordibus noſtris habitare per Fidẽ, nemo tamen Habitationem iſtam Fidẽ interpretabitur, ſed eximtum Fidei effectum explicari omnes ſentiunt, quod per ipſam Fideles conſequũtur, ut Chriſtum in ſe habeant manentem*. Et alio loco. *Porrò, qui ex hoc loco manducationem Chriſti nihil aliud eſſe colligunt, quám* FIDEM, *non ſatis appoſite ratiocinantur: fateor certé, non alitér nos Chriſtum edere, quám Credẽdo, ſed Manducatio ipſa, effectus eſt ac fru-*

In Iohan. 6.35.

fructus Fidei potiùs, quàm Fides. Neque n. Fides Christum intuetur dũtaxat, quasi procul remotum, sed eum amplectitur, ut noster fiat, & in nobis habitet: facit ut coalescamus in ejus corpus, communem habeamus cum ipso vitam, unum denique simus cum ipso. Et alibi. *Quanquã autem aliud est vesci Christi carne, quàm in ipsum Credere, sciendũ tamen est, non aliter Christo nos posse vesci, quàm per Fidem, quia Manducatio ipsa Fidei est effectũ.* Hæc ea de re Calvinus. Idcóq; Martyr (ut ad propositum revertar, illúdque concludam) citato jam loco Augustinum adducit, hoc genus Fidei ità explicantem, *Credere in Christum est Credendo amare, Credendo ad illum ire, & membrum ejus effici:* Undé videtur sumpta vulgata illa inter *Credere Deo, Deũ, & in Deũ*, distinctio. *Nam Credere Deo*, inquit Gloss. ord. *est Credere vera esse quæ ille loquitur: quod & mali faciunt: Credere Deum*

In Mat. 16. 26.

In Iohan. Tract 9.

Ad Rom. 4.

est Credere illum esse Deum: quod & Diaboli faciunt: sed Credere in illũ, est Credendo Amare, inquit, *Credendo diligere, Credendo in eum ire, & ejus membris incorporari.*

3

CHARTAS *est omnium Bonorum Mater.*

TErtium verò, *Charitatem esse bonorum omnium Matrem*, mirum est in dubium revocari, quúm, nisí quæ facis ex AMORE Dei proficiscantur, aut sí eo destituantur, bona dici (ut nunc quidém de bonis Operibus loquimur) non possint, qualiacúnque appareant. Deínde fuit etiam hoc ab Augustino dictum: *Duo sunt*, inquit, *rivi, qui de fonte Amoris emanant, Cupiditas, & Charitas: & omnium malorum radix* Cupiditas *& omnium bonorum radix* Charitas. *Ex eo ígitur totum est, quod bonum est, & totum quod malum est, ex eo est.* Et Calvinus ait, *Charitas unica est omnium*

In Mat. de verbis dom. in Serm. 12.

nium Operum regula, & unica in recto donorum usu moderatrix, nihil sine ipsa probari Deo potest, quámlibet hominũ opinione splendidum. Nam species Virtutũ omnium absque illa fumus est, vanus crepitus, precium non unius pili, denique fœtet, ac Deo displicet. Et ad Colos. ubi Paulus ait, *vinculum perfectionis esse Charitatem*, Col. 3. 14. postquám Christianas virtutes á Paulo enumeratas explicavit, subjicit: *Quum omnia quæ hactenús recensuit, ex Charitate manent, meritó nunc hortatur Colossenses, inter se ut Charitatem colant, eorum causâ: hoc est, ut sint misericordes, mansueti, &c. acsi diceret, tũc fore tutos, si Charitatem habeant. Nã ubi deest CHARITAS, frustrá omnia requiruntur. Ac quó magís eam commendet, vocat eam Vinculum Perfectionis: quia nihil est in vita nostra benè compositum, quod non ad ipsum dirigatur, sed quicquid aggredimur, mera est dissipatio.* Hæc illi,

Auguſtinus, inquam, & Calvinus quos hîc ſum ſequutus: & á quibus non diſſentio: imó certé eis vehementér aſſentior, in eámque partem accipi velim, quæ á me dicta ſunt, in quam hæc ab illis ſcripta accipiuntur: ídque, ſi illa adſit, de qua diſputatur, CHARITAS, futurum confido.

Veruntamen, quoniam ut hoc ſatis ſit vereor (ex meis enim non ex illorum ſcriptis, hęc ſumitur occaſio) rem pauló fuſiús conabor explicare. Nam quæ hactenús dicta ſunt, eó tantúm pertinent: ut, ſi nec ſolus, nec primus dixi, *Amore nos cum Deo conjungi: Charitatem videri Fidei Animam: Omniúmq, bonorum Operũ Matrem eſſe* benigné, quod á me, alios ſequuto, dictum eſt, accipiatur.

JAM veró, ut, quod ſentio, magis aperiam: hîc mihi videtur error ac deceptio naſci, ex vario uſu, & acceptione vocis ἀγαπὴ DILECTIO,

AMOR

AMOR, CHARITAS. (Hæ enim tres Latinæ (quamvis eas inter ſe differre, qui ipſarum naturam exactiús rimantur, velint, ut *Dilectio* ſit levior, *Amor* vehementior, *Charitas* veró vehementiſſimus affectus, qui ibi etiam ſtatuatur ubi conjunctio & neceſſitudo quædam intercedat) pro illa græca promiſcué feré uſurpantur.) Quidam.n. quibus propterea minimé miror noſtra non arriſiſſe, *Charitatis* voce ea officia intelligũt, quæ altera Legis tabulâ præcipiuntur: ut alteri eleemoſynam dare, eíve opitulari, aut quovis-modo prodeſſe: ab his enim itá ſumpta hac voce, haud diſſentimus. Verúm aliud & præſtantius quiddã, ac veluti Radicem, undé illa fluunt, hac etiam voce, ſignificari, minimé dubium eſt, ſunt enim illa CHARITATIS Effecta, potiús quám Charitas ipſa, quũ niſi ex illa, tanquám ex ſuo fonte, deriventur, in rectè factis non ſint haben-

benda, dicente Paulo, *Si insumam*
1.Cor.13. *alendis egenis omnes facultates meas, & si tradam Corpus meum comburendum, Charitatem autem non habeam, id mihi nihil prodest.* Hæc igitur ex Charitate pióque AMORE proficiſci debent, non autem ſunt ipſa CHARITAS: éſtque inter ipſam & illa diſtinguendum, ut inter Pœnitentiam, & Pœnitentiæ fructus. De quibus Johannes Baptiſta loquebatur, dicens, *Edite fructus Pœnitentiâ dignos.* Mat.3.8. Imó veró, né ſyncerus quidem erga homines AMOR, undé omnia ínter ipſos officia naſcuntur, Charitatis nomine tantúm uſurpatur, ſed illa undé hic tanquam ex ſua ſcaturigine perpetuó manat, erga Deum ipſum Charitas, quę neceſſitudinem amorémque ſignificat, quo tanto Deum complecti debemus, ut propter eum homines (quia id illi gratum eſſe intelligimus) etiam diligamus. Atque hinc omnia tám erga Deum

Deum, quám erga homines pia officia oriuntur. Undé constat apud Theologos, eandem feré esse Charitatis, atque Pietatis notionem: quãvis enim CHARITAS Latinis Passivé sumatur, ut Charitas Patriæ ac Liberorum, qua nobis chari sunt & amantur: PIETAS autem Activé, ut Pietas erga Parentes, qua illos prosequimur, jam tamen apud nos, ut pietas, sic Charitas Dei erga nos, vel nostra erga Deum & homines Activé etiam dicitur: & quicquid Deo hominibúsq; debetur significat & comprehendit: quod ex Lege divina manifestum est, cujus universa súma ἀγαπὴ CHARITAS vel AMOR, constituitur: quúm enim nos Deus perfectíssima sua Lege, nihil nisi Amare præcipiat, se videlicet, ac nos mutuó, necesse est amplam esse hujus vocis significationem, qua videlicet omnis erga Deum Fides & Pietas, quæ á nobis requiri-

quiritur, contineatur, adeó, ut ſi perfectè, & ut Lex jubet Amarem°, perfecti quoque, & immaculati, ut Lex requirit, eſſemus, omnia in unius Dei, perfectè amati, gratiam perpetuó facientes, á quo permultum divini hujus Amoris defectu abſumus, nos ipſos nimiúm ſemper amantes.

Quúm igitur nefas ſit exiſtimare, Deũ, qui ſapientiſſimus eſt, ſua Lege, quę perfectiſſima eſt, quicquã (etſi ſingula nòn nominârit) prætermiſiſſe, CHARITATEM autẽ tãtũ præceperit, hac voce neceſſe eſt omnia quæ ei grata & accepta ſunt, cõtineri, in quo admirabilis eſt Dei ſapientia, qui uno hoc verbo omnia concluſit: nempé, quià id poſuit, ſine quo reliqua nihil ſunt, & quo ſemél conſtituto, conſtituta ſunt omnia. Nam nec Fides dogmatum, nec Fides miraculorum, nec deniq; ulla quicquam prodeſt, ſi abſit Charitas, ut his verbis docet Apoſtolus:

Si lin-

Si linguis loquar hominum, inquit, *& Angelorum, Charitatem autem non habeã, factus sum æs resonans, & Cymbalum tinniens: & si habeam prophetiam, & noverim mysteria omnia, omnẽque scientiam, & si habuero omnem Fidem, adeó ut montes transferam*, Charitatem *autem non habeam, nihil sum: & si insumam alendis Egenis omnes facultates meas, &, si tradam corpus meum comburendum, Charitatem autem non habeam, hoc mihi nihil prodest.* Hęc Paulus: undé constat nullam néque Scientiam, néque Cognitionem rerum etiam diviniſſimarum, & arcanarum, néque Actionem rerum, etiam præclariſſimarum, ut ſe crudeliſſimæ morti offerre, ſuáque omnia alendis egenis insumere, quicquam citra CHARITATEM prodeſſe. Et rurſus id ſua Lege præſcripſit, quo uno poſito bene ſeſe habeant reliqua, eíque grata ſint & accepta omnia: hoc autem eſt erga

ſeipſum

ſeipſum Charitas, qua nempé cæteris univerſis rebus anteponatur, illiúſque honor & gloria charior habeatur cunctis hujus vitæ honoribus & commodis, qua denique nobis itá charus ipſe ſit, ut omnes noſtræ Actiones, Dicta, Conſilia, illius cauſâ ſuſcipiantur, & perficiantur. Hoc autem poſito, ac rectè conſtituto, quis dubitat conſtituta fore omnia?

Ac certè quúm Religio ſit divinitús inſtituta, quæ nobis ſit ad ſummam Fœlicitatem VIA, Fœlices autem eſſe non poſſimus, niſi Deo ſimiles ſimus, ſit autem ipſe CHARITAS, ut ait Johannes: perſpicuum eſt, hoc caput eſſe debuiſſe, ad quod referrentur omnia, quę de Religione præcipiuntur, quod adeó verum eſt, ut Chriſtus ipſe, utpoté qui *Finis ſit Legis*, huc etiam referatur, totúmque illius, nedum Moſis miniſterium. Mortuus eſt enim ipſe, ut

1. Ioh. 4. 8.

Rom. 10. 4.

expi-

expiatis peccatis, & reconciliatione facta, divinum hunc in nobis Amorem incenderet, perpetuóque foveret, donec divinam fœlicitatem consequeremur. Deinde omnis boni Cognitio ad Amorem refertur, itá ut ex singulis Cognitionum generibus singuli *Amores* nascantur, ex cognito finito, & hujus mundi bono, finitus quóque, & mundanus Amor, ex infinito autem, qui Deus est, rectè & ex Fide cognito, divinus, qui operatur, & exæquat omnia, Amantémque cum Amato arctissimo vinculo conjungit. Itaque *Sapientissimus vitæ nostræ magister, & author*, inquit Vives, (quod & Johannes ubíq; inculcat) *unicum hoc dedit ad vivendũ præceptum, ut Amemus, gnarus vitam nostram, si Amemus, fore fœlicissimam, nec aliis opus esse Legibus: fœlicius enim nihil est, néque Naturæ cõvenientius, aut utilius, quám Amare, summum præcipuéq; bonum: idcircó Deus &*

us, & Angeli fœliciſſimi ſunt, inquit, *qui amant omnia, ac prodeſſe ſemper cupiunt. Infœlicius nihil eſt, néque naturæ noſtræ infeſtius, quodve eam magis exedat, quàm odiſſe, Deum maximè:* ideóq; miſerrimi ſunt diaboli, qui odio ſe perpetuó, aliis nocere cupientes, excruciant. Ergó, ut Dei Lex eſt perfectiſſima, itá etiam *Charitas*, quæ illà præcipitur, ſummam perfectionem, quæ á nobis exigitur, declarat: ad quam omnis rerum, etiam cœleſtium, cognitio, & FIDES refertur. Omnis ſiquidém ars, omnis ſcientia, ac docēdi ratio, & actio bonum aliquod expetit, ac quærit, in quo Amore conquieſcant. *Deum ergó per* Fidem *cognoſcimus*, inquit Eraſmus, *quem per Charitatem amemus.* Quod etiam confirmat Martyr, *Fides ex ingenio ſuo*, inquit, *ac propria vi ut apprehendamus, Dei verbum efficit, néque* Charitas *eô ſpectat, quæ potiùs nos ad Amandum impellit, quod*

quod jam Fide *cognovimus*. Ideò ut res omnes ad Deum, & rerum omnium Cognitiones ad Dei Cognitionem: sic etiam omnes ex rerum Cognitionib⁹ nati Amores, ad summi boni, in quo conquiescamus, AMOREM nos perpetuò vocant, ac perducere cupiunt. Nunquam n. néque *Intelligendo*, néque *Amando*, res creatas, quia sunt vanitas, sed in uno Deo rectè Cognito, & ardentèr Amato, conquiescet, & fœlicitate fruetur Animus: in eo enim Cognoscet ac possidebit omnia, illisq; pro arbitrio fruetur.

Est igitur ampla hujus vocis, ut initiò proposui, significatio: veramque Fidē sæpè continet magis, quā ab ea, quatenús est Cognitio, contineatur. Nam si CHARITAS sit, FIDEM quòque esse necesse est, quúm *Amor* non sit nisi rei Cognitæ: *Cognosci* autém res possit, nec tamen Amari: atqui enim ut *Charitas*

Fidem, sic etiam *Fides*, si viva sit, *Charitatem* complectitur, ideóq; alterũ pro altero sæpé ponitur. Christus (inquit Math.) in Scribas, & Pharisæos invehebatur, *quód minutiora Legis persequentes, graviora prætermitterent, Judicium, Misericordiã, Fidem*. Pro quibus Lucas posuit, *Judicium, & Charitatem Dei*, ubi Charitas, ut ait Beza, *Amorem significat, quem Deo debemus*. Itáque dubium non est, Charitatem pro Fide, & erga Deum Pietate, poni. Johannes autem ait, *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*: ubi Cognitio viva intelligitur, quæ pio Cordis erga Deum affectu non careat: alioquí enim si simplex fuerit, hominem non beat, sed eum potiús, omni excusatione sublata, condemnat. Ideó sivé Paulum legamus, qui Fidem ubíque inculcat, sivé Johannem, qui Charitatem frequentiús nominat, &

23.23. 11.

11.42.

urget

urget, eôdem tamen ab utróque vocamur, quó nempé & rerum universitas, & omnis cujuslibet rei Cognitio, tota deníque Theologia, nos vocat, & perducere cupit, nempé ad Legis finem, qui est ipse Christus, Déique ipsius Charitas, qui nos ad se per Filiũ rapere, ut in se beati sempiterno ævo fruamur, ubique nititur. Quare, ut hoc concludam, Charitas non modó externa illa erga homines officia designat, eorúmve propinquum fontem, qui est ipse, quo homines prosequimur, Amor: sed ipsam primó, ac præcipué scaturiginem, undé & rivuli, & fons ipse nascitur: hoc est primum ullum ac divinitús infusum ad Deum, mẽti cognitum, serió amandum affectum habitúmve, sine quo in homine vera néque FIDES, néque Pietas, néque Religio (quę est principis hujus mundi verus, ex vera Cognitione, Amor) ulla esse potest. Hac

autem Fide Christum primó excipimus, deindè omnia: nos enim illius & sanguis ab omni peccato expiat, & spiritus ad omnem Justitiam dirigit, ad vitãq; tandé perducit. Ideó Johannes ait, *Si in hac Luce ambulemus, communionem cum eo habemus & sanguis Jesu Christi purgat nos ab omni peccato*. Quare quod caput est Religionis, á nobis postulat Deus, quúm ut illum toto corde *Amemus*, postulat, & divinus hic *AMOR*, CHARITAS-vé, qui Deus ipse est, summus, & extremus rerum omnium finis est, quò res omnes, rerũque omnium Cognitiones, & scientiæ, totáque Theologia, Ministerium, inquam, Mosis, atque étiã Christi perducere nos cupiunt.

1. Iohan. 1.

VERÚM ne hoc quidem satis esse videtur, ad id, quod volo aperté, explicandum, sed Amoris hîc quędam distinctio est adhibenda, quam cupio ab iis, qui hoc legent, attenté expendi,

pendi, ab ea enim pendet eorũ, quæ dixi, intelligẽtia. Mihi igitur videtur Dei AMOR, quo nos illum, ut is etiam, quo nos ille Amat, bifariám consíderari debere: est enim utérque velutí duplex, Primus & Secundus: Dei autem AMOR nostrum semper præcedit, éstque hujus Causa, Noster autem quo Deum redamamus, illius Effectus.

Quemadmodum igitur Deus, qui homines sua bonitate ad sui ipsius imaginem fecit, omnes etiam primó ut á se conditos, Amat: & procurat eorum non modó corpora, sed etiam ac præcipué animos, in quibus suam imaginem impressit, eos sérió ac multis quotidié modis ad vitam beatam invitans, qui primus est & generalis, ut ait Calvinus, & anté ex Augustino intelleximus, Dei creatoris erga omnes AMOR. Primus. In Mal. c. 2.

Deinde etiam hominem (si Deo vocanti non resistat, ut fecerunt qui

bus id exprobrat Stephanus, *Vos ſemper, ut & patres veſtri, ſpiritui ſancto reſtitiſtis*) ſed ei aurem accommodet, Fidémque adhibeat, Juſtitia Chriſtóq; donatum, ac ſibi in Filiũ adoptatum, alio modo Amare incipit, nempé ut Filium ac ſuum ſibíque jam Fide conjunctum, qui ſecundus eſt AMOR.

Act.7.51.

Secundus.

Sic nobis quũ ex peccatis in quibus mortui jacebamus, excitari primúm, & ad Evangelii prædicationẽ, ubí vitæ æternæ Promiſſio nobis offertur, attendere incipimus, innaſcitur primúm animis ſummi illius boni, quod jam oculis mentis cernimus ardens quoddam deſideriũ: ac quoniam ex ipſo etiam Evangelio intelligimus, Nullam peccatoribus cum Deo, qui puriſſimus eſt, Conjunctionem eſſe poſſe, & juſtitiam Amare, & peccatum, quod nos ab optato bono arcet, odiſſe ſimul incipimus, hoc omninó liberari, illa autem, & quidem

Primus.

dem perfectiſsima ornari cupientes, quó cum Deo conjungi, illóq; frui poſsimus, quod etiam ex eo, quod illum, ſummé in Chriſto miſericordem, ac Reſipiſcentibus propitium eſſe credimus, futurum confidimus, id tamen ardentér, ac multis ſæpé cum lachrymis ab illo aſsiduè eſflagitantes. Atque hic eſt primus Amor, qui patris eſt, nos ad Filiũ, in quo nos Juſtificet, trahentis, Effectus, & quem ſemper comitatur FIDUCIA. Sic autẽ affectos, Deus, qui nos ſua miſericordia, ex miſerrimo, in quo eramus, ſtatu huc jam traduxit, ſpe nequaquam fruſtratur, quin quod expetimus largitur, Chriſtum nempé, in eoque peccatorũ veniam, ac juſtitiam, atque adeó ſeipſũ nobis fruendum exhibet: nec hoc tantũ largitur, ſed quó nos ut morte eripuit, ſic etiam mortis metu ac formidine liberet: de collato tanto beneficio.

cio certiores per ſuum Spiritum red dens, animos etiam noſtros inenarrabili gaudio explet, & lætitia perfundit, ut reliquum vitæ tempus, neg lecto hoc mundo, contemptóq; illius ſplendore, adverſus omnes tentationes, quæ vel corpus, vel animam attingunt, muniti, pié & caſté læti traducamus.

Secundus. Ex Chriſto autem, in nobis ſic per ſpiritum Fidémque habitante, novus erga Deum exoritur AMOR, quo illum, non ut Deum modó ac bonorum omnium fontem, á nobis adhuc ſejunctum ac remotum, ſed jam ut patrem nobíſq; conjunctiſſimum, beneficiorum acceptorum memores proſequimur, ac majora etiam ab eo, vitam nempé æternam, expectantes, perpetuó reveremur ac colimus, in eo uno, á quo tanta, nullis noſtris meritis provocato, & quũ adhuc peccatores eſſemus, conſequuti ſumus, totam noſtræ ſalutis

ſpem

ſpem reponentes: eíque quem optimum, ſapientiſſimum, noſtríque amantiſſimum eſſe ſcimus, totius vitæ noſtræ gubernacula lubentér permittimus, hujus tantúm ſatagentes né quid illum offendamus. Hic veró AMOR eſt quẽ ſecundum dixi, Chriſti nempé jam Fide apprehenſi, ac in nobis habitantis, nóſque jam juſtificatos, adhuc tamen perpetuó, quamdiu vivimus, ut ait Calvinus, Juſtificãtis, Effectus, quippé qui nõ modo Fidem, ſed Chriſti etiam Apprehenſionem ſequitur, de quo inter õmnes convenire exiſtimo. Alter veró ille eſt ignotior, & min⁹ celebratus, de quo tamen, quæ diximus, prẽcipué ſunt intelligenda, quę nonnulli ad ſecundum Amorẽ tranſtulerunt, quaſi diceremus, homines AMORE cum Deo conjungi, quũ tamen Amor ex noſtra cum Deo conjunctione naſcatur: quidam etiam ad eum Amorem, quo homines Gen. 15. 6.

pro-

prosequimur, aut etiam ad ipsa hominum inter ipsos officia, quæ ex illo oriuntur, quod adhuc est á mea mente alienius.

Jam ergó supereſt, ut *primum illũ Amorem esse, & cujusmodi sit*, ostendamus. Novum enim hoc nonnullis, & absurdum dictu videtur, Ullo nos, antequam per Christum, FIDE apprehensum, & in nobis habitantem, simus veniam peccatorum ac Justitiam consequuti, Dei justitiæq; Amore ac desiderio, peccatíq; odio teneri atque inflãmari: atque hinc nata est omnis offensio. At si res penitús introspiciatur, facilé id constabit. Christus enim Christiq; beneficia omnibus quidém offeruntur, sed nullis tamen applicantur, néque prosunt, nisi Credentibus, ac Resipiscentib°, ut testantur literę. In vera autem Fide ac Resipiscentia inest boni AMOR, & mali ODIUM, *Evangelium*, inquit Paulus, *est Dei*

Rom. 1.

potem-

potentia cuivis credenti salutaris. Et Christus Marthę dicebat: *Nõne tibi dixi, fore, si credideris, ut videas gloriam Dei?* Et Petrus: *Convertimini ac respiscite, ut deleantur peccata vestra*. Et Esay. *Ad quem respiciam, nisi ad contritum corde?* Demqúe né multus sim in coacervandis locis, hoc ubique inculcant sacræ literæ. Idcó Calvinus in hæc Lucæ verba, *Beata quæ credidit, nam perficientur ea, quæ dicta sunt ei á Domino: sensus est*, inquit, *Fide locum dari divinis promissionibus, ut suum in nobis effectum obtineant: certum quidem est, non pendere ex hominum arbitrio Dei Voluntatem, sed quia indigni sunt increduli, qui promissionum fructum percipiant, ideo docet scriptura, Fide tantum efficaces esse in salutem nostrã. Offert enim Deus*, inquit, *sua beneficia promiscuè omnibus. Fides autém sinum ad ea recipienda expandit, incredulitas autem excidere patitur, né ad nos usq; perve-*

Iohan.11. Act.3. 66 Luc.1.

perveniant. Et post, *Incredulitas Januam Deo claudit, manúmque ejus ab opere arcet, nè salvificam sentiant,*
6.3.20. *qui ipsam fraudent virtutis suæ laude*, inquit. Et alio in loco ita scribit, *Nullis se exhibet Christ⁹ nisi miseris & afflictis peccatoribus, qui gemunt, laborant, onerati sunt, esuriunt, sitiunt, &c.* Aliter ergó affectis, non remittuntur peccata. *Nihil .n. minús conse-*
3.2.18. *taneum est*, inquit idem, *quám ut peccata ignoscat Deus, in quibus nobis ipsi blandimur*. Et alibí, *Nemo sine pec-*
Mat.3.2. *cati odio, & vitiorum displicentia, gratiam Dei gustabit*. *Peccatum verò*
3.3.20. *nemo odit*, inquit idem, (éstque verissimum) *nisi priús Justitiæ Amore captus*. Et in Jonam idem repetens offensionem etiã tollit, quæ in quorundam animis nasci solet, quasi hinc sequeretur nos præcedente illo Justitiæ Amore, peccatíq; odio peccatorum remissionem ac Justitiam promereri: quod nequaquam ita est.

est. Sic ergo loquitur. *Quoties veniam proponit Deus peccatoribus, simul additur hæc Cõditio, Ut resipiscãt, nec tamen sequitur pœnitentiam esse Causam impetrandæ veniæ, gratis enim se Deus offert, néque aliundé inducitur, quàm mera sua liberalitate; sed quia non vult homines abuti sua indulgentia, & facilitate, ideó legem illam apponit, ut scilicet pœniteat ipsos vitæ prioris, & in melius mutentur. Sic ergó,* inquit, *respicit Deus ad eorum opera, qui testantur se odio habere peccatum, & vero ac syncero desiderio confugiunt ad misericordiam.* Et alio loco ait, *Non enim (ut quidam imperité fingũt) prior locatur pœnitentia, quasi Causa sit remissionis peccatorum, vel Deum præveniat, ut incipiat nobis esse propitius: sed resipiscere jubentur homines, ut percipiant oblatam sibi reconciliationem,* inquit. Cap. 3. Mat. 3.

Itaque hinc constat, quúm Christus nec applicetur, nec prosit, nisi Cre-

Credentibus ac Resipiscentibus, á quibus scilicet recipitur, & in Fide, ac resipiscentia insit, boni Amor, & peccati Odium, nos cúm Christum, Justitiam nostram excipimus, peccatorúmq; veniam consequimur, aliquo jam Justitiæ Amore, peccatíque Odio esse imbutos. Nisi enim ita esset, Justitiam né oblatam quidem exciperemus, nec peccato, in quo nobis adhuc blandiremur, liberaremur. Nec sané verendum est, ut hîc quicquam Dei gratiæ derogetur, ut quibusdam ob Præparatoria opera, quibus hominem seipsum non modo ad recipiendam Dei gratiã præparare, sed eam etiam promereri nonnulli existimârunt, videtur. Néque enim qui dicit nos, ut Christum, Justitiam, peccatorúmq; veniam, á Deo consequamur, certo quodam modo Præparatos esse oportere, dicit hoc á nobis esse, ac sic nos gratiam promereri: Hoc enim totum á spiri-

Spiritu ſancto eſt, per quem nos Pater, ut dixi, ad Filium hac via trahit, nec Gratiæ ullo modo hoc repugnat: quæ á Deo gratís quidem, ſed tamen ita divinitús Præparatis confertur, in quo tantum abeſt, ut Dei gratia obſcuretur, ut duplex potiús appareat. Præparat enim gratís ipſe nos, qui eſt Agricola, & Idoneos reddit ad Chriſtum excipiendum, Præparatis veró Chriſtum, Chriſtíque omnia bona, idem ipſe gratís largitur.

Quod ſi hæc non admittas, agedum ergó, ede, bibe, genio indulge, quaſi ſecunda gratia, qui Chriſtus eſt, Juſtitia ac Peccatorum remiſſio é Cœlis, cœco impetu, nivis inſtár, decideret, nec minús ad te pertineret ita tibi indulgentem, quám ad eum, qui ad reſipiſcentiam vocanti Deo auſcultans, de vita corrigenda, gratiáque ac peccatorum venia impetranda, ſit ſolicitus.

Hinc

Hinc ergo, ni fallor, perſpicuum eſt, ut Chriſti participes efficiamur, & in Juſtitiæ poſſeſſionẽ mittamur, oportere nos ita ſaltém eſſe comparatos, ut id velimus (néque .n. hoc in invitos confertur beneficium) ut autem id velimus, & Juſtitiâ donari, & peccato liberari, expetere debemus. De hoc ergó Juſtitię AMORE, peccati odio, veniæ qué conſequendæ deſiderio, per quod Cœleſtis Pater ſuo nos ſpiritu ad Filium adducit, in quo nos juſtificet, & per quod in Mente Fides, quæ non modó otioſa, ſed etiam mortua foret, in corde vivere incipit; Prophetas & Apoſtolos, Orthodoxóſq; ſcriptores ſequutus, ſæpé loquutus ſum: oſtendere volens, non cúr nobis Deus patcat (id .n. ex mera illius in Chriſto gratia eſt) ſed tum qualiter Affectos eſſe nos oporteret, ut veniam à Deo, & tanta bona conſequamur: túm né quis exiſtimaret, Chriſtum,

& hæc

& hæc Dei bona ad ſe, in ſua impro bitate permanẽtem, non minús pertinere, modó ſe in Chriſtum credere ſibi perſuaſerit, quám ad eos, qui ſeriò reſipiſcunt, peccata lugent, juſtitiam eſuriunt ac ſitiunt, Deíque miſericordiam, ut a peccato & morte liberentur, ſerió implorant, in qua opinione ſi neminem eſſe dixeris, nec qui prava ejuſmodi imbutus, ſe falſa hac ſpe lactet, reſpondebo id, quod dixi, non minús propterea verum eſſe, néque etiam inutile, quó moneãtur omnes, ut ſibi ab hoc errore caveant. Sed utrúm ſint hodié, qui ita ſibi fingant vel etiã perſuadeant, novit ille qui nihil ignorat, certé permultorum, qui Chriſtianam Religionem profitentur, vita id aperté teſtificari videtur.

Hinc autem quiſq;, qui benignum in meis legendis animum afferet, ea facilé, uti ſpero, expediet, quæ pauló fortaſſis pluribus ac vehemẽ-

tius de CHARITATE (quam tantoperé, refriguiſſe uidebam) hoc eſt, ſyncero & ardenti Dei *AMORE*, undé pia omnia officia perpetuó oriuntur, diſcerni.

SUPEREST autem, ut quibuſdã etiam ſatisfaciam, qui nos putant, dum FIDEM & CHARITATEM tam arcto inter ſe nexu copulamus, Fidem & Regenerationem confundere: quod tamen non ita eſt: illam enim hujus Cauſam, hanc illius Effectum eſſe intelligimus: ſed tamen in FIDE juſtificante, ut Reſipiſcentiæ, ſic etiam Regenerationis initiũ ineſſe non negamus: quod iis nec novum nec abſurdum viſum iri ſpero, qui inani FIDEI voce non contenti, illius naturam propiús expendent. Si enim Fides hæc, ut dicimus, in Mente & Voluntate ſedem habet, núm has facultates, pulſa, Fidei adventu, Incredulitate, aliquantulum ſaltem immutari credendũ eſt?

Nam

Nam Mens errore liberata, Veritatis luce donatur: & Voluntas, vanis anté hujus mundi amoribus capta & illaqueata, ad ſummum bonum expetendum ac quærendum convertitur. Quod ſi quis dicat, *Fidei* hæc eſſe Effecta, non autem ipſius naturam, quam ergó nobis FIDEM per ſe & in ſua natura conſideratam relinquet? quæ nec Mentem errore, nec pravo Voluntatem Amore liberans, hominem tamen juſtificet, ac cum Deo conjungat (hæc enim non Fidei effectis, ſed ipſi FIDEI tribuenda ſunt) undé poſteá ſequatur Mentis ab Errore, & Voluntatis á mundi Amore liberatio. Hoc autem quúm ſtare non poſſit, nec illud, certé ex quo conſequitur. Verúm quod dixi, ex iis quæ anté ex Calvino & Martyre citavimus liquidé conſtet, de quo tamen ſi quis dubitet revocentur, ſi lubet, rurſúſq; audiantur iidem teſtes. Calv. ad Co-

Ioſſ. ubi Paulus ait, *& induiſtis novũ hominem, qui renovatur in agnitionem &c*, ita ſcribit, *Primùm novitatẽ vitæ in agnitione conſiſtere docet, nõ quia ſimplex & nuda agnitio ſufficiat: ſed loquitur de ſpiritus ſancti illuminatione, quæ viva eſt atque efficax: ut non tantùm Mentem illuſtret accenſa veritatis luce, ſed totum hominem transformet: atque hoc eſt, quod continuó addit, renovari nos ad imaginem Dei: imago autem Dei in totâ Anima reſidet: cùm non Ratio tantum, ſed Voluntas etiam recta eſt.* Hoc Calvinus. Viva autem & efficax hæc Mentis Illuminatio, & in ea accenſa veritatis lux quæ Voluntatem ad ſe rapit, nonné viva FIDES eſt? In qua tamen Regenerationis initium etiã conſpicitur. Martyr autem id planiús exprimit. *Cum*

Cap. 3.

Rom. 10.

paritur in nobis FIDES, inquit, *Spiritus ſancti duplex opus accedit, alterum, Ut Mens ità illuſtretur, quó certa reddatur de re propoſita, licét non ità evi-*

evidenti: alterum est, Ut sic corroboretur Voluntas, quó superet affectu suo, quicquid á sensibus & ratione demonstratur, quod cum verbo Dei proposito, repugnet. Conjungitur enim, inquit, *Spiritus sanctus Voluntati nostræ in opere Fidei, quoniam Assensus, quem oraculis divinis credendo exhibemus, firmus est & efficax: Spiritus quippé Voluntatem immutat, eámque reddit Ultroneam, ut prorsús velit, quæ anteá respuebat. Gubernat itaque Deus, largiendo nobis* FIDEM, *utramque Animi facultatem, ut earum naturæ convenit.* Et alio loco Pighio respondens ait: *Nos verò Fidem historicã,* Rom. 11. *quæ ea omnia spectat, quæ scribũtur in sacris literis, nõ rejicimus, quasi fingere velimus nova aliqua objecta Fidei, præter ea quæ proponuntur in Scripturis, aut ex illis efficaciter concludantur: sed requirimus Assensum, non vulgarem, aut frigidum, qualis est illorum, qui ea quæ legunt in sacris literis probare so-*

dent, humana perſuaſione & probabili Credulitate adducti, quemadmodum hodié Judæi ac Turcæ multa nobiſcum conſitentur & credunt, ſed certum & firmum, & efficacem, & ab afflatu Spiritus ſancti profectum, qui cor atq; Animum immutet ac refringat: bonoſque motus & ſancta opera ſecum trahit. Ità dicimus aliam Fidem eſſe efficacem, alium Aſſenſum hiſtoricum, inquit.

Ex horum autém aliorúmq; doctorum virorum ſcriptis plura facilé exſcribi poſſent, ſi id res poſtularet: ſed hoc ſufficere ad id, quod propoſitum eſt, mihi videtur. Utinam qui hæc legent, ità ſint affecti, ut ſolent qui in eorum, quos amant, ſcriptis legendis verſantur, obſervantes non quid reprehendi, nedum detorqueri, ſed quis ex ſingulis piûs & commodus elici poſſit ſenſus ac debeat. Hoc meum votum eſt, cujus etiam me tandem compotem futurú ſpero, idque ut ita ſit, Deum Optimum,

Max-

Maximum vehementer precor. Nẽ quod ad me attinet, vera hæc eſſe ex iſtimo, & cum vera, hóc eſt, Chriſtiana Religione maximé conſentanea, nec minús ad Pietatem vitámq; rectè, & ex Dei verbo, inſtituendam utilia: nec poteſt mens mea, niſi novas audiam rationes, meliora videre: quód ſi aliter eſſet, ab opinione certé, veritatis amore facile diſcederem. Itaque ſi hîc erro (quod nonnulli aiunt, ego non exiſtimo) non odio tamen, ſed venia potiús dignus ſum: præcipué quúm hæc etiãſi á veritate nonnihil deflecterent, impia tamen non eſſe, æquos omnes judices judicaturos exiſtimem.

EIVSDEM CONCIO in templo D. Mariæ ad Clerum (*vt vocant*) *habita Cantabrigiæ*, 12. Ianuarij.

Psalm. 23.

1 *Dens est Pastor meus, nulla unquam re destituar.*

2 *In cauis herba i. herbosis conquiescere me facit: ad Aquas leniter fluentes deducit me.*

3 *Restaurat vitam meam, deducit me per aquas & planas vias, propter nomen suum.*

4 *Si ambulavero in medio umbra mortis, non timebo malum, quia tu mecum es: Virga tua & Pastoralis tuus baculus me consolantur.*

5 *Parabis (i. Paras. futur. pro præsen.) mensam meã coram persequutoribus meis: impinguasti oleo caput meum, & calix meus est exuberans.*

6 *Me suo fauore prosequetur toto vitæ meæ tempore, & in domo Domini permanebo in perpetuum.*

HVnc Psal. esse Dauidis constat ex ipsius Titulo. A Dauide ergó, vt a suo Authore, qui summa erga Deum fide ac pietate fuit præditus, nobis commendatur: sed tamen

præcipué ab Argumento, quod tractatur. Celebratur autem hic á Dauide singularis Dei erga suos *Prouidentia*, quam ipse & jam expertus erat, & tum etiam, cúm hoc scriberet, experiebatur. Docet igitur Deum, suorum, hoc est, fidelium ac piorum hominum, eam curam ac rationem semper habere, vt nunquam commissurus sit, vt vlla re destituantur. Primúm enim omnium, quæcunque eis fuerint ad hanc vitam necessaria, affatim suppeditabit. Deindé mala & incommoda propulsabit. Prætereá eos suo hoc tam singulari fauore, non unum diem aut annum, sed perpetuó prosequetur. Denique quod caput rei est, Corporum eorum non modó curam habebit; verúm etiam ac præcipué Animorum, nec eos a se segregatos suo hoc fauore prosequetur, sed in suam ipsius familiam ascisset, ubi puré ac sinceré tantisper eum colant, dum hic vixerint: deindé hinc migrantes in Cœlo eos vita secum beatissima donet. Hæc est illa Dei de hominibus pijs cura & singu-

laris

laris *Prouidentia*, quam expertus Dauid hoc Psalmo canit ac celebrat, Metaphorica primum quadam Allegoria & similitudine ab ouium *Pastore* sumpta 4. primis ver. deinde etiam simpliciter ac sine Tropo duobus reliquis. Quicquid autem hic de Dei erga se benignitate & fauore prædicat, vna ratione nititur, quæ est Psalmi initiò, vbi ait: *Deus est Pastor meus, nulla unquam re destituar:* quæ quidem certissima ac firmissima est ratio: sed quæ magis aperta fuerit, si huic Enthimemati, quæ deest, Propositio apponatur, hoc modo:

Is, cuius Deus Pastor est, nulla re unquam destitui potest.

At Deus, inquit Dauid, est Pastor meus.

Ergò, *nulla re vnquam destituar.*

Huius Ratiotinationis Propositio adeò omnibus nota & certa est, vt eam adscribi non fuerit opus. Quis enim est (si Deum esse confitetur ac credit) qui nesciat illum esse vnicum omnium bonorum fontem, ac omnipotentem, ideóq; impe-

diri nullo modo posse, quin eos quos ex animo amat, beatissimos reddat. Itaq; hoc posito, quod erat Dauidi persuasissimum, assumit Dauid, *At Deus est Pastor meus*: & concludit, *se nulla vnquam re destitutum iri*. Sed quia de ista assumptione dubitari potuisset: vtrum videlicet Deus Dauidem in suum gregẽ, hoc est, in suam clientelam ac fidem recipisset, vt illius *Pastor* esse vellet, id confirmat Dauid ab effectis boni ac sedulí Pastoris. Hic enim continuata illa ab ouium Pastore sumpta similitudine, quinque recensẽt, quibus id demonstret. Quodnam igitur est boni *Pastoris* officium? Hoc Dauidi quamuis Rex esset, erat notissimum, fuerat enim ipse quondam ovium *Pastor*: potuit ergo facilè boni Pastoris Officium describere: hoc autem primum a Pastore requiritur ut de amœnis pascuis in cibum, & salubribus ac commodis in potum Aquis suis Ouibus prospiciat, eorumq; vitam restaurans, & ad Pascua à Caulis, & ad caulas à Pascuis non per loca sentibus aut filicibus

bus aſpera, ſed per planas & æquabiles vias, ne aut corpus ad ſentes, aut pedem ad ſilices offendant, deducat ac reducat. Deniq; vt illas a feris omníq; incommodo ſeduló protegat. At Dauid Deum ſeſe erga ſe itá geſsiſſe, tribus a primo verſibus deſcribit: *Deus*, inquit, *Paſtor meus me ſuam ouem deducit ad Paſcua herba*, i. herboſa vel amœna, & paſcendis Ouibus commoda, in quibus & conquieſcere commodè & adverſus ſolis ardorem aliáq; incommoda protegi poſſim. Ergo ille me deducit ad amœna paſcua, vbi me ſalutaribus herbis licet pro arbitrio ſatiare: deinde ad vitandum nimium ſolis æſtum aliáque incommoda, in caulis conquieſcere. Secundó, idem ille meus *Paſtor me deducit ad aquas*, non rapidas & inſtar torrẽtis impetuoſas, ejuſmodi enim aquæ nec ad potum nec ad frigus commodé captandum ſatis eſſent idoneæ, ſed aquas *leniter fluentes*, apud quas ſitim, cibo & ardore ſolis contractam, explere, frigúsque captare poſsim. Tertió, *reſtau-*

rat, inquit, *ac reficit vitam meam*. Quod potest ad præcedentia referri; sic quum me ad tam herbida Pascua deduxit, tamq; cõmodé fluentes aquas, vitam meam recreat ac refocillat: vel ad id etiam quod sequitur. Restaurat vitam meam, deducens me per æquas & planas vias, vel certé ad vtrunq;. Quomodo Deus Dauidis ouis suæ vitam restaurat? eum deducendo ad amœna pascua, hausturq; cõmodas aquas, ac dum eum non per aspera loca deducit, sed per æquas & planas vias. *Hoc autem* inquit, *totum mihi largitur propter nomen suum*, hoc est, nullis á me officijs aut meritis prouocatus. Quid enim Ouicula faceret, quo suum sibi *Pastorem* obstringeret, vt tantam sui curam haberet? & tamen cum hic de pijs hominibus, & Deo eorũ *Pastore* agatur, claudicat nonnihil similitudo. Nam *Pastor* Oues curat, lucrum ex illis captans. Cúm enim volet, aut eas vendet, aut in suos ac familiæ vsus conuertet. At Deus ex nobis nullum quæsit lucrum: nullas commoditates: vt qui

nullius

nullius omninò rei sit indigens, sed omnia ad nostras refert commoditates, nihil ad suas, quas nullas quærit, cúm sit perfectissimus, & omnibus bonis cumulatissimus. Quomodo ergo homuncio, aut quibus officijs terræ vermis beatissimam illam mentem sibi deuinciret? sed Deus, cúm sit optimus, non expectat dum á nobis prouocetur, cúm sit ipse sua sponte ad benè de nobis merendum maximè propensus. Itaque ait Dauid, *Hæc omnia in me cõfert beneficia Deus, propter nomen suum:* hoc est, propter seipsũ, suámque summam bonitatem. Quintó autem loco ait, *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo malum:* in quo videtur immutari illius Oratio. Si enim perstaret in eo dicendi genere, quo ante vtebatur, suum Pastorem ab effectis describens, diceret, liberat me ex periculis: sed si attentè res spectetur, & hoc ipsum dicit, & aliquid amplius, vt mox videbimus. Deindè videri possit Dauid hoc in loco non sui Pastoris diligentiam,

sed suam ipsius virtutem, animi, inquam constantiam & magnitudinem celebrare: *Si ambulauero in medio vmbræ mortis*, inquit, *non timebo mala*. Attamen non ita est, sed totum hoc ad sui *Pastoris* laudem refert, ut constat ex subiecta ratione, *quia tu mecum es*, de qua mox dicemus. Hoc igitur in loco Dauid ait, Deum tantam sui Curam habere, vt se ex periculis eripiat ac liberet, fitque in posterum eodem semper erga se fauore vsurus. Itaque si quid illi humanitus contingat, nempè vt aberrans instar perditæ Ouis, in magno aliquo periculo, atq; adeò in mortis vmbra versetur, nihil tum sibi esse timendum prædicat. Et quia novum hoc erat pronunciatum: anteà enim dicebat, *Me deducit ad amœna pascua, & ad aquas leniter fluentes, vitam sic meam restaurans, per planas etiam vias deducit*, quæ omnia iam experiebatur, nunc autè ait, se in quantiscunque versetur periculis perpetuò à Deo liberatum iri, de quo dubitare poterat: hoc ergò noua confirmat

Ratione

Ratione, *quia* inquit, *Tu mecum es, virga tua & pastoralis tuus baculus me consolantur.* Hoc est, tu singulari tua *Prouidentia* & erga me amore, mihi semper ita propitius ades, vt mihi propterea nihil sit timendum, in quibuscunq; periculis sim collocatus: sed adhuc perstat in iam sumpta á *Pastore* Similitudine, fingítque Deum ad sui tutelam armatum ac quasi *Pastorem* aliquem, suo Pedo, hoc est, pastoritio baculo ad Ouem suam protegendam accinctum, & ideò *Si ambulauero*, inquit, *in mortis vmbra*, aut in ipsis ferarum antris fuero, *nihil tamen mihi fuerit timendum*, quia Deus mihi semper adest propitius suo pedo ad me protegendum instructus. Si Propositio, quæ hic etiam deest, addatur, erit apertius hoc modo:

Illi, ad quem defendendum Deus est suo veluti pastorali baculo, sicut Pastor instructus, nihil est timendum, in quibuscunque sit periculis collocatus.

At Deus, inquit Dauid, *est veluti Pa-*

ſtor ad me defendendum ſuo pedo inſtructus.

Ergó, *ſi ambulauero in medio vmbræ mortis nihil timebo.*

Ratio hæc plana eſt & perſpicua, ex qua etiam patet, quod anté diximus, Dauidem hîc non prædicare ſuas virtutes, ſed Dei ſingularem erga ſe & ſuos *Prouidentiam*: eſtqué hîc obſeruandum: eum non dicere, Se nihil mali aut incommodi in poſterum ſenſurum: nouerat enim, vt erat vir prudens, rerû humanarû inconſtantiam & mutabilitatem: ſed hoc ait, ſe in periculis Deum ſemper ſecum habiturum ſibi propitium & fauentem, & ideo nihil ſibi timendum eſſe aſſerit: nec vnquam fore pronunciat, vt, ob pericula quibus detineatur, etiamſi horrenda ac formidabilis mors adſit, animum deſpondeat, quum talem habeat tutorem & *Paſtorem.*

Atque hæc ſunt quæ continuata illa Metaphora ab Ouium *Paſtore* ſumpta, proponit & explicat: quæ eodem poſteà fine

ſine Tropo repetit: quædam inſuper adijciens; ea autem repetit, quum ait, *Parabis*, hoc eſt, paras, futurum pro præſenti, quod Hæbræis eſt familiare: *paras* igitur *menſam meam coram perſequutoribus meis: ungis Oleo caput meum, & Calix meus eſt exuberans.* Hoc eſt enim quod anteá dixerat, *deducis me ad amœna paſcua & aquas lenter fluentes*, idq; *per vias planas & æquabiles, ſic vitam meã reſtaurans.* In primo tamen, notanda eſt prætereá Circumſtantia, quam addidit: *corã hoſtibus meis.* Solent enim, qui veré pij ſunt, multos habere inimicos, qui eos everſos ac omnibus rebus deſtitutos eſſe cupiũt, idq; ſeduló curant, ac ſæpe aliquid in eos machinantur: ſed Deus illis invitis ſuos protegit, ac liberalitér educare ſolet, etiã videntibus eorum Hoſtibus, in quo ſingularis Dei erga ſuos eſt conſpicua Gratia & Benignitas. Hoc igitur ſibi contigiſſe ait Dauid.

Quod autem de *Oleo*, ſeu unguéto precioſo, adjicit, pro more regionis dictũ eſt.

Mos

Mos autem erat, ut si paulò lautiora essēt Convivia, convivæ *Oleo* & ungvento precioso perfunderentur: vt hic ante & post eiusmodi Convivia solent ferè manus odorifera aqua ablui. Hoc autem rerum abundantiam denotat, quo etiam spectat quod subiungit, *Calix meus est exuberans*. His enim Phrasibus Dauid significat, non id tantum sibi a Dei benignitate fuisse suppeditatum, quod erat ad hanc vitam tuendam necessarium: sed tantam bonorum omnis generis copiam sibi Deum suppeditasse, ait, vt præter necessarios vsus, haberet etiam in quo summam Dei erga se benignitatem ac liberalitatem considerans, sese oblectaret: non est Deus erga suos parcus, sed largus admodum, ea etiam suppeditans quæ sint præter necessitatem, vt sic summam illius erga se benignitatem experti, illi libentiùs & alacriori animo seruiant.

Sed, quod subijcit versu vltimo, est imprimis obseruandum. De futuris enim ac perpetuis Dei erga se beneficijs etiam vaticinatur

vaticinatur cùm ait, *Hoc ſuo fauore me proſequetur toto vitæ meæ tempore: & in domo Iehouæ permanebo in perpetuum.* Significat enim hanc gratiam æternã fore, nedùm diuturnam, in quo, quid a Deo ſperet, indicat. Si enim Princeps aliquem ex paupere diuitem, aut ex obſcuro illuſtrem faceret, & ad ſummum honoris gradum eueheret, vt cum inde pauló póſt deturbaret ac præcipitaret, non eſſet hoc beneficium, ſed injuria potius. Deus autem non ſolet, ſeſe ità gerere erga ſuos, qui ſynceré illum colunt: hoc Dauid confirmat, quum ait, ejuſmodi Caſum non eſſe ſibi timendum, *quin potius*, inquit, *Deus ſua me ſemper beneficentia proſequetur*, Indicans *Fortunæ* (vt dicitur) Caſus, quantumvis varij ſint & incerti, non eſſe timendos ijs, quorum Deus eſt Deus.

Vltimo verò loco ait, *ſe habitaturum in domo Dei longo tempore*. Quo in loco plus etiam quiddam continetur, quàm præcedentibus, ubi de corpore præſenti-

q; vita ac fœlicitate agebatur. Dicebat enim Dauid, ſibi omnia, quæ eſſent ad hanc vitam neceſſaria, diuinitús ſuppeditari, ſe quoq; ab omni malo defendi ac defenſum iri. Tertió, hæc bona tádiú duratura, quamdiú vita ſuppeteret: ſed hæc quamuis magna ſint, nõ tamen ſatis eſſẽt niſi etiam animi, ac præcipué, ratio habeatur, vitæq; Cœleſtis, quæ æterna ac beatiſſima futura eſt: de hoc igitur hoc verſu agitur. Ac primúm Dauid ait, ſe tot bonis, ad hanc vitam commodé degendam pertinentibus, non modó fruiturum, & domi ſuæ ſplendidé victurum: ſed quod multó majus eſt, *ſe in Dei domo*, hoc eſt, in æde ſacra permanſurum: hoc eſt, ſe ſynceré diuini numinis cognitione donatũ, illud in æde ſacra caſté ſemper adoraturum ac veneraturum: in quo poſitus eſt animi cibus ac vita. Et quum diuturnitatis téporis facit mentionem, dubium non eſt quin his verbis, ſpes cœleſtis atq; æternæ vitæ includatur. Templum enim illud Hieroſolymitanum typus erat cæleſtis illius

illius non manu facti templi, in quod Christus æterna peccatorum expiatione facta ingressus esse dicitur, *Heb.* 9. Itáque nõ dubium est, Dauidem ad illam beatissimam vitam animum attollere, quũ itá loquitur, & eam vitam his verbis designare, quæ per templum divinumque cultum adumbrabatur, & in his iam terris inchoabatur.

Itáq; hæc est singularis illa ac certa Dei erga suos *Prouidentia*, quam in sua ipsius persona expertus Dauid, celebrat ac describit in piorum omnium gratiam. Nam certé hoc Psalmo videtur describi summa *fælicitas*, & ad illam *via*: vt hic Psalmus formulam habeat rei omnis expetendæ. Si enim, exempli causa, quidlibet optandi facultas tibi detur, quid meliús aut amplius expetere possis, quám ut omnia, quæ ad hanc vitam commodé degendam sunt necessaria, affatim & copiosé, ac Diuina, ut dicitur uirgula tibi suppeditentur etiam inuitis tuis omnibus

invidis

inuidis & osoribus. Deinde, ut Deus ipse, totius huius mundi gubernator, te in suam clientelam ac fidem ità recipiat, vt omnia abs te mala perpetuó averruncet, aut si quid vnquam aduersi contingat, ità tibi semper præsens adsit, vt nihil tibi nocere possit. Præterea, vt hoc suo tam singulari fauore prosequatur, non vnum aut aliquot annos, sed toto vitæ tuæ curriculo. Denique, ut non Corporis modò, sed animi hoc est præcipuæ tui partis præcipuam semper Curam habens, eam vera sui cognitione illustret: nec in Erroribus versari sinat: ac ne te domi tuæ ità commodè viuere sinat, sed in suum ipsius Palatium transferet, ut cum illo permaneas ac viuas. Denique cum Animus, solutis corporis vinculis, emigrabit, ad vitam cœlestem ac beatissimam te transferat, vbi cum illo sempiterno æuo beatissimus viuas. His nihil est magis optandum: nec prætermissum quicquam esse videtur, quod vllius sit momenti. Itaq; perfectissimam formulam rerum omnium expetendarum

dárum continet hic Pſalmus.

Iam veró, nos omnes bonum appetimus: & bonum quó maius, eó magis expetendum: omnes igitur in tantæ *fælicitatis* vera poſſeſſione eſſe cupere-mus. Quis enim non cupiat ſe, & omnium bonorum participem, & malorum expertem eſſe, háncque conditionem ſibi eſſe perpetuam? deinde, vera Dei cognitione præditum, hîc pacaté viuere, & cúm hæc vita cúm morte commutanda ſit, ſe ad regnum Cælorum beatiſſimámque vitam transferri? id omnes ſani quám expetimus. Atquî tanta *fælicitas* omnibus mortalibus eſt expoſita, quin ad eam omnes a Deo ipſo inuitantnr. Quamvis enim Dauid de ſe vno loquatur, ad eámque ſe iam perveniſſe dicat, ac prædicet, quaſi extra omne periculum poſitus, iam in certa illius poſſeſſione verſetur, tamen ſuo nos exemplo eódé invitat, quibus, eodém modo, ſi velimus, licet eſſe beatis: id enim eſt in noſtra manu poſitum: quamvis enim tanta *fælicitas* ab

homine non ſit, ſed á Deo (eſt enim planè diuina) tamen ab eo nobis offertur, tantúm eſt excipienda. Licet igitur nobis, ſi velimus, eſſe beatis: atquí volumus ut anté dictum eſt: omnes enim homines videntur ſúmis votis expetere, ut ea conditione ſint, quam hic ſe conſequutum eſſe, prædicat Dauid: hoc eſt, ut divinum numen itá habeant propitium, ut ab eo omnia, quæ ſunt ad hanc vitam neceſſaria, quamdiú ea ſuppetet, ſibi ſuppeditentur, ut præſentisſimum illius auxilium in omni periculo ſemper adſit: né mens erroribus occœcetur, ſed exploraté Deum norit, patrémque ſibi eſſe non dubitet, ſed quotidié experiatur: denique, ut morientes ad vitam beatiſſimam transferantur. Quomodó igitur omnes ad tantam *fœlicitatem*, tám vehementer á ſingulis expetitam, non perveniunt? Hoc videtur dignum, quod diligenter inquiratur: ne quum hoc expetamus omnes, á via tamen aberrantes in ſummam miſeriam delabamur.

bamur.

Hic Dauid non tantúm ſuo exemplo eó nos invitat, ſed viam eam demonſtrat ac præſcribit, qua, ſi velimus, illius veſtigijs inſiſtentes, facilé eó peruenire posſimus. Tota autem huius *fœlicitatis* deſcriptio, ut initiô diximus, hac nititur Ratione, *Quód Deus ſit Dauidis Paſtor*: indé enim colligebat, *ſibi nihil unquam defuturum*: Hæc autem Concluſio, ſi generaliter ſumatur, non minús vera erit, quám ſi vni Dauidi applicetur. Vt enim Dauid Concludit: *Deus eſt Paſtor meus*: *Ergó*, *nulla unquam re deſtituar*: Idem ſinguli, qui Dauidis exemplum & pietatem ſequentur, Concludere poſſunt. Hoc nempé modo:

Nullus, cuius Deus eſt Paſtor, nulla unquam re deſtituetur.

At Deus eſt omnium piorum hominum Paſtor:

Ergó, *nullus unquam pius ulla re deſtituetur.*

Hæc Concluſio non eſt minús vera & certa, quám illa particularis, qua Dauid ſibi, quod omnium fidelium eſt commune, applicabat. Itáque, ut ad hanc *fælicitatem* perueniamus, totum in eo eſt, ut Deus ſit *Paſtor* noſter: ſi enim hoc ſit, tum nos ille, *& ad amœna paſcua, & aquas leniter fluentes, per planas & aquabiles vias deducens, vitam noſtram reſtaurabit, idquè propter ſanctum ipſius nomen ac numen: nobis in omni periculo aderit ſemper propitius, ſuo pedo, ſuáque virga inſtructus ad nos protegendos, vt nihil unquám nobis ſit metuendum, né ſi quidem morti adeó propinqui ſimus vt in illius iam umbra verſemur. Ille nobis menſam in conſpectu hoſtium noſtrorum parabit, caput inunget, calicem mero refertam offeret, ſuoq́, tanto ac tam ſingulari fauore ſemper proſequetur: nec nos domi noſtræ tantúm alet, ſed in ſuam etiam transferet, vt nos ab illo adoptati cúm eo permaneamus, & qúum huius vitæ finis aderit, nos*

meliori

meliori, hoc est, *cœlesti & æterna donabit.*

Itaque hoc unum, nempé, ut Deus sit noster *Pastor* omnibus viribus eniten-dum est, vt assequamur: si enim nobis *Pastor*, esse velit, illi nos tutó committere, vitámque nostram possumus, nunquam deerit ille suo officio. Quomodó ergó hoc assequemur, vt Deus noster sit, vt erat Dauidis, *Pastor*: certam enim ad hanc rem viam esse necesse est, quúm Deus, qui nos eó vocat, neminem ludificetur nec irrideat. Vt ergó Deus sit Pastor noster, quod maximé cupit, in eum, enim finem nos creavit, necesse est vt simus illius Oues, hæc enim mutuó sunt ita inter se affecta, ut alterum sine altero esse non possit. Danda igitur est opera, né in nobis sit culpa,, in eo enim nunquam eam fore certum est. Quid ergó nos facere, aut quales nos esse conveniat ut oves illius simus, ipse Christus bonus ovium Pastor explicat. *Iohan.* 10. *Oues inquit meæ, vocem meam audi-*

unt & sequuntur me : alieni autem vocem non agnoscunt, nec eum sequuntur, sed ab eo fugiunt . Duo hic sunt ut Dei Christiué vocem audientes . Et agnoscentes eum sequamur, quó vocat & præit ; alieni autem vocem nec agnoscamus, nec sequamur, sed ab eo fugiamus : quibus verbis non dubium est vim , naturàmque fidei contineri, & explicari : vt Dei vocem non audiamus modó ac intelligamus, & pro Diuina ac verisima agnoscamus , sed ut eam sequamur : deindé, ut alieni vocem nec agnoscamus nec sequamur, sed fugiamus . Sed quis est hic alienus? Satan, salutis nostræ & divinæ gloriæ hostis,sensúsque noster, & carnis cupiditates , quæ nos falsa boni specie allicientes á vero bono reuocant . Sed primúm ac præcipué illud est videndum: ut audita Pastoris voce, statim sequamur : Hoc enim si fit, alterum consequetur , ut alienum non sequamur, sed eum fugiamus. Primúm hinc constat

fidem

fidem non esse in eo positam, ut Dei verbum audiamus, aut etiam intelligamus, Deique Pastoris nostri vocem esse agnoscamus : imó neque si hunc illi honorem tribuamus, ut verissimum id esse judicemus quod loquitur : sed præterea necesse est vt eum sequamur : fides enim non est in intelligentia tantúm, sed & in voluntate, quæ præcipua pars est: Neque enim Deus est contentus altera nostri parte, sed totos nos expetit, ut totos nos beet. Fides igitur totum hominis animum occupare debet, hoc est, & mentem collustrare, & voluntatem in illius boni amorem rapere, quod mens cernit. Itáque si alicujus sola mens vera & certa Dei cognitione illustretur, Christúmque norit esse mundi Seruatorem, omniáque fidei Christianæ mysteria probé teneat, nec tamen illam Dei Christíve Pastoris vocem sequi velit, fidelis non est habendus. Illa enim intelligentia quantumvis certa &

magna fides, non eſt qua iuſtificamur, ſed illius quædam præparatio eſſe poteſt; niſi enim qui Dei vocem audit, eam ſequi velit, conſtat eum illi fidem non habere. Qúum enim omnes ſummum bonum appetamus, ſummámque fœlicitatem: Deus autem eam ſuo verbo omnibus offerat, viámque ad eam demonſtret, ſi eum quó vocat, non ſequimur, indé hoc proficiscetur, quód illi fidem non habeamus. Cúm enim beati eſſe velimus, & ille nos beare cupiat, ſi illi viam monſtranti auſcultaremus, eó procul dubio peruenirem us, quó cupimus: quare totum hinc malum nascitur, quód illi de re tanta fidem non habentes, aliam nos viam quærimus, qua, quó cupimus peruenia mus. Hoc exemplis illuſtrabo. Faciamus te in morbo grauiſſimo eſſe, & recuperandæ valetudinis cupidiſſimum, adſint duo medici, quorum alter certiſſimum ac præſentiſſimum præſcribat remedium, alter veró præſentiſſimum venenum

venenum : ille te ſeduló ac ſerió moneat , ut ſalutarem ſuam potionem ſumas, ab hac verò mortifera tibi diligenter caveas , illúmque medicum credas eſſe ſuæ artis peritiſſimum & optimum virum : ſi tamen pharmacum illud ab eo præſcriptum non ſumas , ſed hoc ab altero lethiferum , nonné concludi neceſſarió debet, te aut nolle ſanari, aut illi fidem non adhibere? at te ſanari nolle, dici non poteſt: jam enim poſuimus te eſſe recuperandæ valetudinis cupidiſſimum : itáque hoc ex eo contingit, quód illi fidem non habeas , ſed alteri. Aut ſi, quis hinc, hoc eſt Cantabrigia, Londinum ire cupiens abs te viam, cuius eſſet ignarus, peteret, eámque illum doceres, nominatis omnibus pagis ac oppidulis, per quæ hinc Londinum euntibus ſit tranſeundum: atque inſuper moneres , ne verſus caſtellum iter ſusciperet, eam enim viam alió deducere, nec enim poſſe illa Londinum peruenire: ſi tamen ille abs te monitus ſuum iter per caſtellum inſtituat , eámque viam

insistat, nonné rectè dixeris eum aut nolle Londinum ire, aut tibi non credidisse? At Londinum vult ire. Hoc enim posuimus. *Ergó*, hoc vnum supereſt, vt tibi fidem non habere dicatur. Quantúmvis enim de te honorificé sentiat, & loquatur, tamen res ipsa indicat illum tibi hîc fidem non adhibere. Nunc né hæc ficta aut aliena esse videantur, sumamus ex sacris literis exempla, quibus hoc ipsum probetur ac confirmetur. Ab Adamo & Abrahamo: ille enim omnium hominum, hic autem fidelium parens est. Quid ergó de Adamo dicemus? Deus eum creârat ad sui ipsius imaginem, illi, si eius vocem audiret ac sequeretur, hoc est, si in obedientia permaneret, beatissimam & æternam vitam destinarat: cuius Diuinæ ac Cœlestis gloriæ, quam etiam mentis oculis intuebatur, erat ipse cupidissimus. Duæ autem erant in illo Paradiso arbores, per quas quid opus esset facto admoneretur: altera nempé vitæ, qua intelligeret se perpetuó

cum

cum Deo victurum, si in obedientia permaneret: Altera autem scientiæ boni & mali, é cuius fructu gustare vetabatur, ut mortem & miseriam effugeret. Quomodò ergó contigit ut a summo bono ità aberrârit: cuius ille adipiscendi, & Deus illi condonandi esset cupidissimus? quód Deo fidem derogaret, & alieni vocem audiret, sítque sequutus: Deus enim volebat eum ad fœlicitatem perducere, illius igitur hoc vnicum erat officium ut se ab eo perduci sineret, Deo fidem omnem adhiberet, nihil ipse faceret præter hoc vnum, ut Deo obtemperaret: nec plura scire appeteret, quám quæ illi fuerant concessa: sed in obedientia permaneret: verúm Satan illi persuasit (quod quidem ex parte verum erat) si de arbore scientiæ boni & mali ederet, eum fore boni & mali scientem, ac proindé Deo similem, ut in posterum ei opus non foret a Deo pendere, quum sciens boni ac mali, posset satis sibi prospicere, neque

ab

ab alio pendere, aut ſuperiorem agnoſcere, quemadmodum Deus, nec aliundé pendet, nec ſuperiorem vllum agnoſcit: & hoc modo poſſe ſibi facilé quantam maximé optaret fœlicitatem comparare. Quam aſſequi nunquam poſſet, niſi ſibi ipſi crederet ac confideret non alij: ab alio enim pendere, ſeruire eſſet non regnare. Itaque hac Serpentis oratione ineſcatus & captus Adamus, hanc viam expeditiorem eſſe iudicauit ad eam fœlicitatem, qum exoptabat, quám aliundé pendere, & ad Dei nutum vitam ſuam componere. Guſtavit ergó ex vetito fructu, apertique ſunt oculi ei, ac tum videt bonum & malum, quum anteá bonum tantúm nôſſet, nempé obtemperandum eſſe Deo, pluráque ſcivit quám priús, ſed hoc ei infœliciter ſucceſſit, imó á propoſito ſcopo hoc eſt diuina fœlicitate, quam exoptabat & captabat, penitús aberravit, quia de arbore ſcientiæ boni & mali guſtavit. Pluráque ſcire voluit, quám expediret. Abrahamus veró non

ità

ità ſeſe gesſit, quin ſumma fide præditus, Deo in omnibus obtemperare conſtituit, eique totius vitæ ſuæ gubernacula permittere. Ideó quum eum Deus jusſit é patria diſcedere : relictis conſanguineis amicis, toto denique natali ſolo, ut alió ſe conferret, paratus fuit: quamuis quó ſibi eſſet eundum, nondum intelligeret: exivit, inquit Apoſtolus, *neſciens quó venturus eſſet*. Itáq; noluit de arbore ſcientiæ boni & mali edere, nec ſenſus nec rationem ſuam conſulere, ea enim arbor ei perſuaſiſſet, meliús eſſe & commodiús in patria permanere, quám ea relicta, novas & incognitas, ab aliisq; occupatas ſedes quærere. Deo igitur credidit, quia non tantúm audivit illius vocem, aut credidit Deum eſſe veracem, ſed eum ut Paſtorem ſuum ſequutus eſt : atque ita ſeſe gesſit, quaſi ſtupidus, ac mente captus fuiſſet. Quis enim illum ſtupidum & amentem non iudicaſſet, qui propter auditam Dei in aëre, aut alio modo, vocem, ſtatím natale ſolum, ſuósq; omnes conſanguineos, affines,

affines, amicos, & commoditates relinqueret, & incertus quó iret, eó tamen proficisceretur, quó illa vox significasset. Sed hæc sûma est ac diuina sapientia, Deo maiorem, quám tibi fidem adhibere: Imó illi penitús credere ac confidere, nó autem tibi. Itáque gustare noluit de arbore scientiæ boni & mali, hócq; vnum sui officij esse, rectè judicauit, Deo obtemperare: atq; indé omnem fœlicitatem pendere, quiá Deus sibi confidentes, nunquam fallat, nunquam deserat. Ideóq; quúm iussus est filium mactare sine mora, sese etiam ad iter & opus tam horrendum patrandum accinxit: ac propterea Deus tanti hanc sui Abrahami fidem, fecit ut iurarit se ei, quód hoc facere paratus fuisset, nunquam defuturum: sed omni bonorum genere eum cumulaturú. Itáq; Abrahamus in his ac similibus rebus simplicis ac genuinæ ouis naturam expressit, quæ audita Pastoris voce statím sequitur. Sic igitur nos affectos esse oportet, ut existimemus viam ad fœlicitatem

fœlicitatem quam optamus, esse positam non in scientia multa, sed in obedientia magna; ut parati semper simus Deum Pastorem nostrum vel clausis oculis sequi, qui & nostræ fœlicitatis est cupidior, & viæ quæ ad eam peruenirí sine errore potest peritior quám nos omnes. Si igitur summum bonum omnes appetimus, ut certé appetimus, & ad id pervenire velimus, Deo fidem adhibeamus, eúmque sequamur, alieni autem ac nostri sensus vocem né audiamus. Vis ad summum bonum pervenire? vis immortalem gloriam, & honorem consequi? vis opibus omnibus ac diuitijs abundare, & te in vera semper voluptate esse? Duo hic sunt consiliarij, qui id tibi videntur promittere; Deus ex vna parte, ex altera autem Satan & carnis cupiditas. Satan & caro te invitat ad corporis voluptates, in cibo & potu, & ab Dominis obscænas: spiritus autem Dei ait, Ne hæc facias: hac enim

enim via, ad veram & ſolidam voluptatem nunquam peruenies : imò illæ erunt tibi certiſſimæ maximarum miſeriarum cauſæ . Hic utri fidem habeas, facilé ex euentu conſtabit . Si enim voluptates ſequaris , quicquid de Deo & eius Chriſto, Chriſtianáque religione dicas ac ſentias, & quamuis ore & externis ceremonijs in baptiſmo, & cœna aliſque exercitijs, te Chriſtianum eſſe profitearis , tamen conſtat te Deo non credere,ſed tibi. Deindé ſenſus & caro te ad multas opes cumulandas quotidié incitant, ut hoc pacto tibi tuíſq; proſpicias, ideó qui illis fidem adhibent,toti ſunt in diuitiis comparandis , non vnum diem in ea re, ſed totam vitam conſumentes , quaſi hoc vnum eſſet in vita curandum, at ſpiritus ſanctus, né ità opibus inhies vetat : & Paulus ait , *eos qui diteſcere cupiunt, in Satanæ laqueos incidere.* Si tibi ergo actuis in hac etiam vita proſpectum eſſe vis, exiis etiam, quæ tibi diuina prouidentia conceſſa ſunt,pauperibus

clar,

elargier, &, ut monet Daniel Propheta, tua peccata eleemosynis redime. Et Christus: Facite vobis ex Mãmona iniquitatis, hoc est, ex vestris divitijs amicos, qui vos recipiant in æterna tabernacula. Caro etiam ac sensus tibi sua dẽt, vt ad magnos aspires honores, efficiásq;, ut in gloria dum vivis versleris. At spiritus sanctus monet, ut inanem istam gloriam contemnas, & ad veram æternámq; perpetuó contendas. Hic ut intelligi possit vtri, Deo an Satanæ fidem habueris (quod occultum est; Omnes enim se Deo credere ut omnes Christiani Christo profiv tentur) ad viam veniendum est. Si enim voluptuosus sis, si Auarus, si Ambitiosus, quibus tribus videntur omnia vitia comprehendi posse, neq; Deo, neque Christo fidem habes, quicquid dicas, intelligas aut credas, in quocunq; externæ ecclesiæ cœtu versleris, & quibscunq; te ceremonijs exerceas. Circumcisio enim tua ac baptismus tuus conversus est in præputium, tuúmq; pascha ac cœna in pro-

phanum convivium. Quum enim Deus ad veram fœlicitatem viam deſcribat, ac quaſi digito monſtret, neceſſe eſt dicere, te aut nolle beari, aut Deo non credere. At te veram æternam certiſſimámq; fœlicitatem expetere conſtat. Omnes enim ejusmodi fœlicitatem ſibi obtingere cupiunt. Perſpicuum eſt ergo te Deo rectè conſulenti fidem non habere. Alióqui enim neglectis ejuſmodi voluptatibus delicijs, diuitijs & honoribus te totum Deo regendum ſineres, tibi non crederes, de arbore ſcientiæ boni & mali non guſtares, oculis velutí clauſis Deum ſequereris, ſi illi veré confideres. Deniq; te ipſum abnegares, ut faciendum monet Chriſtus, Ovium Paſtor bonus, & omnis pietatis magiſter, qui profitetur ſe eſſe viam, veritatem, & vitam. Et hoc eſt quod Adamo dictum fuerat; De arbore ſcientiæ boni & mali né guſtato, ſed mihi tantúm obtemperato. Verúm nos nimis doctè ac ſcientes ſumus, ex infœlici illa arbore nimis guſtauimus, totámque pené de-

uora-

voravimus, ideó non possumus nos Deo permittere & totos regendos sinere, timemus enim ne nobis aut nostris malé prospiciat. Ideó illum & veracem & optimú esse scientes, ab illo nobis optamus quidem vitam ac fœlicitatem dari: sed quia illi penitús non confidimus, nostram omnem sapientiam, & industriam adhibere etiam volumus, quod quó magis facimus, eó etiam magis ab eo discedimus. Sic autem abnegare nos ipsos deberemus, quasi nihil in nobis esset istius neq; sapientiæ, neq; prudentiæ, hoc vnum Deo in omnibus rebus esse perpetuó obtemperandum persuasissimum habentes. Quum Deus vbiqué affirmet omnes qui itá fecerint, beatissimos fore. Hæc enim vera via est ad vitam beatissimam, quam perpetuó tenere conuenit. Nolimus, atq; licet si velimus, esse beatis. Sed age, quum hic agatur de summa nostra aut fœlicitate aut miseria, tempúsq; sit breue quo exacto, nullus sit unquam futurus pœnitentiæ locus; quid vetat experiri?

num hoc verum sit, id est, nûm Deus hominem, qui ità se abnegarit, ut de lethali illa arbore gustare recusans, né oculi sibi ad res mundanas aperiantur omnem ità Deo fidem habuerit, ut ab illo totus pendeat? num inquam Deus eiusmodi hominem in suam fidem & clientelam, ità sit recepturus, ut illum quia sese propter ipsum abnegat, nunquám re ulla finere velit esse destitutum, neq; in hac, neq; in futura vita. Periculum, inquam, faciamus de diuinis oraculis, quæ omnia hoc faciendum monent: hoc si fecerimus, minimé dubitandum est fœlicisimé hoc nobis successurum. Saltem Naamanem, illum Syrum imitemur, qui cum sanari cupiens, á Propheta admonitus esset ut corpus sextiés in Iordane abluerat; Prophetæ fidem derogans, id primó facere recusauit, num, inquit, aquæ Israelis sunt nostratibus meliores aut salubriores? attamen á servis admonitus, ut periculum faceret, corpûsq;, quod facilé factu erat, abluere, abluit, statimq; sanitatem recuperavit.

peravit. Experiamur igitur & nos, utrum hac via, quæ nobis á Deo Prophetis apostolísq; præscribitur, possimus tantam felicitatem tantoperé expetitam assequi. Via autē est facilis, nō laboriosa, qualis est est hæc quam sequimur, in qua nos totos dies noctésq. cruciamus, voluptatibus, divitijs, honoribúsve inhiantes, inquo quotidié quantoperé decipiamur, experimur, sed tum præcipué quûm moriendum fuerit sentiemus. At veró hæc ad vitam via est pacata & tranquilla, his omnibus mundanarum rerum curis soluta, ac vacua est vni Deo confidendum: reijce inquit Dauid solicitudinem tuam, & ille quód cupis, effectum dabit, neq; vero ouis officium est, de pascuis esse solicitam, sed Pastoris. Ouis hoc officium est, pastorem sequi. Ideóq; Christus vanam hominum solicitudinem reprehendens, ait: quid itá de victu, potu, ac vestitu soliciti estis, dicentes, quid edemus, bibemus & quó amiciemur? Nonné, inquit, qui vobis dedit vitam & corpus, hæc omnia suppedi-

tabit, si ei confidatis? Quærite igitur primum inquit, Regnum Dei, & omnia hæc, adjicientur vobis. Itáque ut concludamus, Hoc dico & divinum est non meum oraculum: si Dei Oues simus, si illius vocem audiamus, & sequamur, alienorum autem vocem nec agnoscamus, nec sequamur, nihil vnquám neque in hac néque in futura vita nobis est defuturum, nec minus veré accertó dicere poterimus, quám Dauid, quia *Deus est Pastor meus, nulla vnquám re destituar*. Hac autem via ut incedere perpetuó possimus, quia a Diuina gratia pendet, superest, ut a Deo precibus impetrare contendamus.

Errata sic corrigantur:

Pagina.	Linea.	Errata.	Correctio
14	15	*ido*	*ideó*
25	4	*ſmul*	*ſimul*
27	21	*deeſt*	*ex*
28	21	*explicat*	*exprobrat*
51	7	*quam deeſt*	*antiquus*
63	13	*deeſt*	*non*
69	20	*mihi*	*initi*
84	21	*voluntat*	*voluntatẽ*
103	12	*operatur*	*cõparatur*
113	8	*alter*	*alterum*
128	5	*expectabamus*	*expetebamus*
ibid	9	*credamus*	*redamemus.*

Cætera, quæ committuntur, aut nullius momenti ſunt, aut pennæ adminiculo emendantur.